BSB Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

VD18 14523558-001
Phaedrus

Phaedri Augusti Liberti Fabulae Aesopiae Novissime Recognitae Et Emendatae

Biponti 1796

Signatur: A.lat.a. 1429

Nutzungsbedingungen

Bitte beachten Sie folgende Nutzungsbedingungen:

1. Die Dateien werden Ihnen nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke zur Verfügung gestellt.
2. Nehmen Sie keine automatisierten Abfragen vor.
3. Nennen Sie die Bayerische Staatsbibliothek als Eigentümerin der Vorlage.
4. Bei der Weiterverwendung sind Sie selbst für die Einhaltung von Rechten Dritter, z. B. Urheberrechten, verantwortlich.

Usage Guidelines

Please observe the following usage guidelines:

1. The files are provided for personal, non-commercial purposes only.
2. Refrain from automated querying.
3. Attribute ownership of the original to the Bavarian State Library.
4. In using the files, it is your own responsibility to observe the rights of third parties, e. g. copyright regulations.

PHÆDRI

AUGUSTI LIBERTI

FABULÆ ÆSOPIÆ

NOVISSIME RECOGNITÆ ET EMENDATÆ

ACCEDUNT PUBLII SYRI SENTENTIAE
AVIANI ET ANONYMI VETERIS
FABULAE DENUO CASTIGATÆ



EDITIO ACCURATA

BIPONTI
CIↃIↃCCXCVI.

10242404

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Bayerische
Staatsbibliothek
München

10242404

PHÆDRI

FABULÆ ÆSOPIÆ

1024x404

10242404

VITA PHÆDRI

A

JO. SCHEFFERO

ARGENTORATENSI COMPOSITA.

PHAEDRUS, cujus pauci meminerunt apud veteres, ſi non ante, ſub Auguſto ſaltem natus fuit. Virgilium profecto ac Ovidium eſt æmulatus, qui utrique ſub Auguſto floruere. Quin immo Auguſti mentionem facit ipſe, tanquam ejus, ſub quo vixerit, cujuſque geſta quædam obſervarit. Nam cum l. III. f. 10. præmiſiſſet: *narrabo tibi, memoria quod factum eſt mea:* ſubdit: *a Divo Auguſto tunc petiere judices.* Patriam habuit Thraciam, ut ipſe indicat præfat lib. III, his verbis:

Cur ſomno inerti deſeram patriæ decus?
Threïſſa cum gens numeret auctores ſuos,
Linoque Apollo ſit parens, Muſa Orpheo.

Sed hoc alii. Amplius obſervatione dignum, quod in monte Pierio videatur editus, quem antiqui ſedem atque domicilium Muſarum credidere. Ita namque dicto loco:

Ego, quem Pierio mater enixa eſt jugo,
In quo tonanti ſancta Mnemoſyne Jovi
Fecunda novies artium peperit chorum.

Vides ſimul, in hoc monte Muſas genitas putaſſe olim. Unde quoque nata eſt opinio, quod ibi commorentur. Strabo lib. X: *A cantilena & numeris & inſtrumentis, & Thracica omnis Muſica & Aſiatica fit magni. Quod ex eo liquet, quia ibi loca ſunt, in quibus velut ſedibus ſuis Muſæ eſſe dicuntur. Nam Pieria, Pimpla, Libethrum olim Thraciæ fuere montes regioneſque.* Sic hunc locum verto, quem obſcurius nonnihil Caſaubonus reddidiſſe videtur. Jam quia Muſæ artium omnium ac literarum deæ, poſt ſuperius allata verba Phædrus ſubjecit, *natum ſe in ipſa prope ſchola.* Parentes quos habuerit, haud conſtat. Saltem quoniam in Thracia editus, Thrax ipſe fuit, minime ſervilis exſtitiſſe conditionis credi poteſt, ac ſic caſu potius, quam naſcendi forte, factus eſſe ſervus; neque cum P. Pithœo libertinum Auguſti, ſed libertum appellari oportere. Ceterum, quis ille caſus fuerit, nemini eſt promtum dicere. Niſi fors quis divinare velit ex Suetonio, quando de Octavii Auguſti patre ſcribit cap. 3. *Beſſos ac Thracas magno prælio fudiſſe.* Potuit nimirum eveniſſe tum, ut cum aliis captivus Romam duceretur. Quod ſi quis admittit: primam Phædri ſe extendere ætatem etiam ad Julium neceſſe eſt, quando memoratum bellum geſtum eo tempore, quo Cæſar ſolus geſſit conſula-

tum, atque Q. Cicero Aſiam adminiſtravit. Nec fortaſſe multum obſtat huic ſententiæ, cum præſertim ſenectutis ſuæ paſſim Phædrus ipſe mentionem faciat temporibus Sejani. Ingenium videtur habuiſſe probitatis atque honeſtatis amans, oſtenduntque tot egregiæ ſententiæ, quæ in hoc opuſculo occurrunt. Quin immo & alios juxta ſecum ad virtutis cultum incitare ſtuduit, ut palam in præfat. lib. II. oſtendit. Pertinet huc quoque, quod eodem libro habet de ardelionum natione, multo labore nil agente:

Hanc emendare, ſi tamen poſſum, volo.

Nec interea moroſus fuiſſe credi poteſt, ſed jucundus hilariſque, ut potiſſimum ex lib. IV. fab. 13. & 14. item fab. 16. liquet. Opes & pecunias alto generoſoque animo ſemper contemſit, ut de ſe teſtatur ipſe l. III, præfat. ubi *curam habenti penitus corde eraſiſſe* ſcribit. Maxime vero hoc egit, cum videret, quam multis exitiales eſſent ſuo tempore pecuniæ. Id quod innuit l. V. fab. 4. ubi ait, poſt allatam fabulam de aſino, detrectante hordei comedere reliquias, quo ſaginatus porcus, Herculi deinde immolatus fuit:

Hujus reſpectu fabulæ deterritus
Periculoſum ſemper vitavi lucrum.

Et profecto tunc opulentiſſimum quemque a Tiberio variis criminationibus circumveniri ſolitum, non ipſe modo docet in ſequentibus, ſed & exem-

plis a Suetonio cap. 19. & Tacito VI. Annal. c. 19. aliiſque locis allatis comprobatur. Quemadmodum vero negligens fuit opum, ita ex adverſo gloriam ſectatus eſt, eam maxime, quæ eſt ex literis doctrinaque. Ideo & de obtenta ea tantum non triumphat in præf. lib. III. ubi ait:

Ergo hinc abeſto, livor, ne fruſtra gemas,
Quoniam ſolemnis mihi debetur gloria.

Sic ab initio lib. IV, *mihi parta laus eſt.* Quin immo tam præclare de ſe ſentit, ut & aliis famam nominis ac immortalitatem dare poſſe ſcriptis crediderit. Inde ad Particulonem lib. IV:

Particulo, nomen chartis victurum meis.

Literas autem ipſas magno animi ardore eſt aggreſſus, & in illis eam partem maxime, quæ poeſis appellatur. Liquet vel ex eo, quia puerum ſe etiam tractaſſe Ennium fatetur, & ex eo verſum citat lib. III. circa finem, ubi Ennium intelligit, cum ait:

Ego quondam legi quam puer ſententiam;
PALAM mutire plebeio piaculum eſt,
Dum ſanitas conſtabit, pulchre meminero.

Atque hinc fortaſſe factum, ut Æſopi fabulas verſu potius, quam oratione proſa comprehenderet; de quibus amplius nunc aliquid dicendum. Scripſiſſe eas in ætate ultima ipſe innuit non uno loco, pertinetque huc potiſſimum poſtrema, quæ in libro quinto eſt, fabella. Quin & tempus poteſt col-

ligi quodammodo ex libri tertii proœmio, quo videlicet Sejanus pro arbitrio cuncta geſſit ſub Tiberio, ſuamque latiſſime potentiam exercuit. Ubi ſimul etiam cauſa ſcripti hujus aperitur. Calamitas nimirum certa & peculiaris, in quam odio & perſecutione Sejani præcipitatus, fortunam, quia non licebat aperte ob potentem adverſarium, occulte ſaltem, & ſub involucris fabularum, exponere, depingendoque mores ejus & flagitia velut ultionem ſumere de ipſo, ſeque conſolari ſic ſuſcepit. Ita enim eſt intelligendus locus totus, qui occurrit in prædicto proœmio:

— — Servitus obnoxia
Quia, quæ volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit.
Calumniamque fictis eluſit jocis.
Ego porro illius ſemitam feci viam,
Et cogitavi plura, quam reliquerat,
In calamitatem deligens quædam meam.

Secutus in pleriſque eſt Æſopum, niſi quod interdum etiam hiſtorias admiſceat, ut ex lib. III. fab. 10. & lib. V. f. 1. intelligitur. Sed ex illis ipſis Æſopi non omnino omnes, verum cum delectu eas ſatem ſcribere ſuſcepit, quæ ſervirent inſtituto, id eſt, vel Sejanum tacite arguerunt, vel calamitatem propriam declararent. Ita ſtatim ab initio affert fabulam de lupo & agno, quorum ille Sejani, hic Phædri ſpeciem exhibere debet. Igitur & ſic concludit eam:

Hæc propter illos ſcripta eſt homines fabula,
Qui fictis cauſis innocentes opprimunt.

Quibus verbis manifeſte ſortem ſuam deplorat, & Sejani crudelitatem ſignificat. Nec fortaſſis aliud quid altera reſpexit fabula, quam ut hydro ingenium Sejani, quodque ipſe animabat veluti, Tiberii exprimeret, eique opponeret patientiam, humanitatem, bonitatem Auguſti, ſub quo primum vixerat. Sed & tertia quartaque manifeſtum continet augurium de futuro Sejani caſu: quem haud ſecus ac graculum omnes ob faſtum intolerabilem olim eſſent deplumaturi. Quod ſi eveniet, ſimilem vult futurum cani, qui dum captat alia, ea etiam, quæ poſſidet, amittat. Nec fefellit Phædrum iſta præſagitio, uti ex hiſtoria Sejani manifeſtum eſt. Verum iſthæc obiter, & tantum ut oſtendam cauſas & occaſiones harum fabularum. Quas intelliget etiam in ceteris, qui conferre iſta tempora cum iis volet. Nam cohærent inter ſe pulcherrime, hocque fine ſunt ab eo ſelectæ, ſicut ipſe lib. III, fab. 12. & IV, in proœmio indigitat. Scripſit porro has fabellas ſtilo longe optimo ac latiniſſimo, ut plerique docti tradiderunt, quod ex teſtimoniis ipſorum, alibi propoſitis, apparet. Nam quod Sciop-pius in eo neſcio quid barbari ac Thracici ſubodoratur, id plane eſt ejuſmodi, quale ejus, qui in Tito Livio deprehendit Patavinitatem. Itaque huc uſque nemini ex doctioribus ſuam approbare potuit ſententiam, nec credo unquam approbabit.

Nos, qui & ipſi ſemel iterumque ac cum cura noſtrum legimus, adeo nil invenimus iſtiuſmodi, ut in pleriſque Virgilium, in ceteris Plautum, Terentium, Ovidium imitatum eſſe opinemur, nec fallacibus argumentis exempliſque in notis noſtris demonſtremus. Denique ipſe longe aliter, quam Sciopius, de his ad Particulonem,

— — Chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis.

Quaſi diceret, ſe ita ſcripſiſſe has fabellas, ut, ſi modo ullum pretium manebit ſermonis latini, propter eum in auctoritate & exiſtimatione ſint futuræ. Nec ipſius ſolum fuit hoc judicium, ſed Particulonis etiam & aliorum, quippe qui & verba formulaſque ejus ex libellis hiſce ediſcebant, ſcriptiſque inſerebant ſuis. Noſter manifeſte in præf. IV,

Mihi parta laus eſt, quod tu, quod ſimiles tui,
Veſtras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa judicatis memoria.

Quanquam autem tanti fuerint æſtimati hi libelli, vivo etiam adhuc auctore, tamen non magis ipſi, quam vulgo ſolent aliorum, evitare invidiam potuerunt. Alii habere quædam fatebantur bona, ſed ea ex Æſopo mutuo accepta, cetera, ut excogitata ſint a Phædro, ita mala eſſe ac inepta. Vid. fab. 20. lib. IV. Alii, cum nil poſſent aliud, brevitatem & obſcuritatem earum accuſabant. Indicat id ipſe lib. III. fab. 10. ubi ait:

Hæc exſecutus ſum propterea pluribus,
Brevitate nimia quoniam quoſdam offendimus.

Erant &, qui argumenti vilitatem, & humilitatem ſtili ac orationis arguerent, ſicut ex lib. III. fab. 6. tota intelligitur. Denique, qui nil horum audebant, vindicabant ſibi, quod inventum erat a Phædro, invidia gloriæ alienæ. Hoc enim voluit tota fab. 13. lib. III, ut vel ex concluſione ejus liquet. Libellum primum & ſecundum edidit ſine dedicatione, cum nuda præfatione ad lectorem qualemcunque, eam ſequutus cauſam, quam in præcedentibus prodidimus. Invenerunt ſtatim amatores, interque alios Eutychum: cui propterea, & quoniam ad ſupplicium tractus fuit interim Sejanus, libellum tertium, &, quemadmodum conjicio, quartum: itemque Particulonem, cui libellum quintum dedicavit. Eutychus vero ille & Particulo qui fuerint, haud facile eſt dicere. Facit ipſe noſter alterum gravibus crebriſque negotiis occupatum & potentem. Itaque & opem ejus contra æmulos ac inimicos, potiſſimum vero contra calamitatem, in quam innocens invidia Sejani venerat, implorat. Ac fortaſſe fuit quiſpiam ex libertis in Tiberiana aula: nam in talem convenit potiſſimum ſermonis peregrini nomen. Fortuna Phædri reliqua quæ fuerit, nonnihil patet ex ſuperioribus. Primum in ætate puerili captus, Romamque ex Thracia deportatus, ibique ab hero ſuo, quocunque denique, ad conſuetudinem illorum temporum, literis imbutus

fuiſſe videtur. In quibus cum non parum profeciſſet, accidit forte, ut in domum Auguſti, vehementer doctos homines amantis, vocaretur. Ubi cum probaſſet ſuam fidem, elegantiam ingenii, morum probitatem, paulo poſt manumiſſus ac libertate donatus eſt. Id quod indicat vel titulus opuſculi, in quo *libertus Cæſar. Auguſti* nominatur. Quem qui de Tiberio accipiunt, ut ſit a Demſtero, & nonnullis aliis, mihi equidem haud ſatisfaciunt. Et mecum ſentiunt ex eruditis plurimi, quos inter eſt Septimius Florens quoque. Mox, Auguſto defuncto, & Tiberio imperium adminiſtrante, incidit in calamitatem magnam nulla ſua culpa, ſicut aliquoties teſtatur, verum odio Sejani, qui eum fictis criminibus accuſaverat juxta, &, ut fuit potentiſſimus, damnari fecerat. Ita enim docent verba ejus, quæ leguntur in præfat. lib. III. Nec fortaſſis tam obſcuri tituli ſunt criminationi ejus, ut videntur, ſi bene reputamus, quod verſatus fuerit in domo Auguſti, ab ipſo clementer habitus, in libertatem reſtitutus. Id enim abſque dubio fuit cauſa, cur Auguſtum primo, & mox, eo defuncto, poſteros illius amaret coleretque. Quos inter cum exſtiterit primum Agrippa, & deinde Germanicus, non potuit profecto deeſſe ratio Sejano criminandi noſtrum apud invidentem atque ſuſpicacem principem Tiberium. Tulit autem calamitatem magno animo, & remedium adverſus eam petiit ex literis. Nec defuerunt amici, qui eum ſolarentur, & promitterent ſuam opem. Inter quos Eutychus præcipue,

quem propterea ad ſolvenda promiſſa fine lib. III. ſedulo adhortatur. Quando diem ſuum obierit, ignotum eſt. Saltem poſt Sejanum vixit, quod appareret ex iis, quæ de ipſo tradit. Nec enim veriſimile, fuiſſe ſcripturum, vivo Sejano, talia; cum & poſt obitum illius exſtiterint, qui hominem metuerent. Periit porro Sejanus anno Tiberii decimo octavo, a quo ad conſulatum Julii ſolitarium, quo Romam veniſſe noſter videtur, anni circiter ſunt ſeptuaginta, ut ſeptuageſimum ſuperaſſe annum ætate ſua ſit neceſſe, ac propterea nec videri poſſit mirum, totiens de ſenectute ſua conqueri.

NOTITIA LITERARIA

DE

PHÆDRO

FABULARUM SCRIPTORE

EX

Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Latina a Jo. Aug. Ernesti auctius edita Tom. II, cap. III.

PHÆDRI ætas & fabularum libri.

PHAEDRUS Thrax, Augusti Imperatoris libertus, sub Tiberio Imperatore, atque ipso fortassis jam defuncto, [1] versibus senariis suavissimis expressit *Libros quinque fabularum* [2] *Æsopiarum*, quorum

1 Ita visum Rigaltio, & Gudio. Sub Claudio scripsisse, & sub Sejani nomine Narcissum perstringere, Henrici Cannegieteri conjectura est, quem vide sis ad Aviani fabulas p. 270.

2 Æsopias vocat, non Æsopi, quia ipse materiam quarundam reperit, *Usus vetusto genere, sed rebus novis*, ut ait in limine libri V. At mirantur viri docti, quod Æsopios logos intentatum Romanis ingeniis opus vocat Seneca c. 27. consolat. ad Polybium. *Non audeo te usque eo producere, ut fabellas quoque, & Æsopios logos, intentatum Romanis ingeniis opus,*

quatuor priores Eutycho [1], poſtremum Phileto Urſo Particuloni inſcripſit, non vane illi ominàtus, chartis nomen victurum ſuis, latinis dum maneat pretium literis. Quanquam inter veteres vix quiſquam commemorat Phædrum, præter Martialem III, 20. & Avianum præfat. ad ſuas fabulas. *Phædrus* dicas, an quod Gudio magis placet, *Phæder*, ciccum non interduim: uſus tamen & aurium ſenſus magis fert, ut Phædrus dicatur. Neque id veterum conſuetudini adverſum, ſicut & *Teucrus Evandrus* dicitur a veteribus, *Periandrus* apud ſcholiaſten Germanici pag. 114, & apud Propertium *docte Menandre*, & *Menandrus* apud Philaſtrium cap. 30. ne afferam alia, notata Iſaaco Verburgio ad Ovidii Triſt. II, 369. v. & Dauſquium Orthogr. T. 1. pag. 2. Munker. diſſ. de Hygino pag. 31. &c. De aliis Phædris, & illo Platonis, & altero Athenienſi Epicureo, dixi lib. 3. Bibl. Græcæ c. 1. §. 12. & c. 33. p. 814. De Thoma Phædro, recentiore ſcriptore, Bælius in Lexico. *Thracem* fuiſſe Phædrum, negat Deni-

ſolita tibi venuſtate connectas. Num igitur Phædrus Senecæ ignotus erat, aut noluit ille Thracem, ut Lipſio videbatur, ingeniis Romanis annumerare? vel, quæ Bælii eſt conjectura, Phædri libelli adhuc verſabantur in manibus paucorum dumtaxat privatorum, vel certe illorum Seneca, cum ſcriberet, haud meminit. Poteſt etiam aliter ad illum locum reſponderi. Nam cum trigeſimum caput ejuſdem libri Senecæ conſulo, video eum loqui de Æſopiis logis non verſu latino, ut Phædrus fecerat, ſed latina proſa digerendis, atque, ut ipſe loquitur, connectendis.

1 Hujus Eutychi, qui apud Caligulam Imper. gratioſus fuit, mentio apud Joſephum XIX, 3. Antiq.

ſeus, [1] qui Gallicis verſibus ejus fabulas reddidit: ſed negat ſine cauſa. Nam Phædrus ipſe diſerte ſcribit in Pierio ſe natum jugo eſſe, & turpe ducit Threiſſæ gentis patriæ decus inerti ſomno deſerere, cum auctores illa numeret Apolline & Muſa parentibus editos, Linum atque Orpheum. Pro Thrace in antiquis inſcriptionibus, & Codicibus quandoque occurrit *Thres*, veluti *Threx*, Θρηξ, ut apud Gruterum p. 955. 4. nec minus *Threx*, ut malebat de Phædro dici Gudius. v. Burmannum ad Petronium p. 225. Uſu tamen & aurium conſuetudine *Thrax* magis probatur. Phædrum autem inter captivos Romam fuiſſe abductum [2] tunc, cum Thraces magno prœlio fuſi eſſent, v. Sueton. c. 3. Auguſt. non eſt oppido veriſimile, quoniam inter Caligulæ imperium & illud tempus, quo non Auguſtus, ſed ante ejus principatum Octavius Auguſti pater Thraces fudit, intercedunt plus quam ſeptuaginta anni. Per hydrum a Phædro notari Cajum Caligulam, de quo Tiberius apud Sueton. c. XI. Calig. prædicavit, *ſe natricem populo Romano, Phaethontem orbi terrarum educare*, Gudio & Triſtano [3] aſſentitur idem Burmannus ad Petron. p. 384. Apud hunc Caligulam gratioſus fuit Eutychus, cui libellos ſuos Phædrus

1 Memoires de Trevoux 1708. p. 790.

2 Placet hoc viro erudito, M. Gabrieli Schumanno, qui diſſertationem de vita & ſcriptis Phædri Germanice edidit in nova Acerra Philologica Hallenſi 1715. 8. pag. 170. 171.

3 Hiſtoria Imperatorum e numis, Gallice expoſita T. 2. p. 303.

inſcripſit, ut notavit etiam Chriſtianus Waſe libro de ſenario p. 32.

FALLI eos, qui Phædri has eſſe negant.

Nic. Perottum videtur auctorem fabularum Phædri facere Petrus Scriverius. Certe ſcriptori antiquo Tiberiani ævi illas prorſus eripit & abjudicat, ad Martialis III, 20. ut Voſſius in Ariſtarcho II, 16. Ac Perottum ſane ſi audimus, [1] is cum teſtatus eſſet, ſe adoleſcentem ex Aviano fabulas jambico carmine tranſtuliſſe, mox iiſdem verbis deinde recitat integram fabulam, qualis de arboribus in Deorum tutela apud Phædrum III, 17. legitur, niſi quod rectius in Phædri hodie exſtat Codice *pinus Cybelæ*, quam quod Perottus, *pinus Neptuno:* & Faernus, *Pinum humidi tridentifer rector ſali.* Ceterum nec fabulæ ceteræ Perotti editæ uſquam ſunt: neque in Aviano fabula illius argumenti reperitur, quam carmine exprimere Perottus potuerit. Igitur Barthius lib. XXXV. Adverſar. c. 35. & p. 827. ad Claudian. Phædrum *citra omnem exceptionem Tiberiani ſcriptorem ævi* profeſſus, Scriverium refellit, Perottum autem imponere lectoribus ſuis voluiſſe non dubitat, ratum apud ſe ſolum Phædri exemplum exſtare; itaque verſus illius pro ſuis audacter venditari a ſe poſſe. Recte optabat Burmannus,

1 In Cornu Copiæ p. 999. Confer Leonhardi Nicodemi additiones ad Bibl. Neapolitanam Nic. Toppi p. 184. & Bernh. Monetam ad Menagiana Tom. IV. p. 118. ſeq.

ut Codex, e quo Perottus ſumſit, reperiretur. Codicem quidem fabularum a Perotto ſcriptarum in Italia reperit *Dorvillius:* de quo videant, qui velint, præfationem Burmanni ad Phædrum. Sed hanc opinionem de fabulis iſtis non illi Phædro antiquo, ſed recentiori alicui tribuendis, recoxit ante annos plures *Jo. Frid. Chriſtius*, ſcripta peculiari Diſputatione ſuper ea re: in qua multa, partim in rebus, partim in verbis a ſe reperta dicit, propter quæ iſtius ætatis eſſe non poſſent hæ fabulæ: in quibus ſi maxime quædam habent ſpeciem aliquam, præſertim apud mediocriter verſatos in his rebus; tamen ea momentum non faciunt, redeuntque tandem omnia ad ætatem Codicis, e quo *Pithœus* eas fabulas edidit. Eum autem Pithœus valde antiquum dicit; vir non rudis rei criticæ & antiquariæ, ut in hoc judicio falli poſſet, præſertim cum novitas libri deberet in oculos incurrere cuilibet, ſi Perotti ætate ſcriptus eſſet. Scripſit contra *Chriſtii* Diſputationem *Funccius* Marpurgenſis *Apologiam* pro Phædro & ejus fabulis Lipſ. 1747. 8. ita, ut dilueret ille quidem objecta libro non pauca, ſed Phædrum ipſum non omnino liberaret a peccatis, quæ ab initiis labentis tum elegantiæ latinæ ducit. Ei reſpondit eodem anno *Chriſtius* libello proprio, ſub titulo: *De moribus*, ad eruditos quoſdam.

DE PEROTTO & FAERNO, qui ante Pithœi editionem fabulis Phædri dicuntur uſi fuiſſe.

Lucem debent Phædri libelli viro optimo & juvandis literis nato *Petro Pithœo*, qui primus e fratris Franc. Pithœi Codice MS. vulgavit Auguſtoduni Tricaſſium anno 1596. 12. Laudatur eo nomine Pithœus a Thuano ad annum 1596. libro 117. Hiſt. Ad calcem primæ hujus editionis ſubjectæ ſunt lectiones vetuſtiſſimi, quo uſus erat, Codicis: quod diligentius deinde fecit *Rigaltius* in editione anni 1599. uſus etiam Remenſi Codice, quem a Sirmondo acceperat; & tamen lectiones nonnullas, Pithœo notatas, prætermiſit. Habeo exemplum primæ editionis notatum manu Gudii. Ante Pithœum in exemplum aliquod ſcriptum incidit oportet Nicolaum Perottum, qui, ſuppreſſo Phædri nomine, nonnullos ejus verſus pro ſuis in copiæ cornu recitat. Etiam *Gabrieli Faerno* hoc objectum eſt, quaſi in ſuis fabulis, elegantiſſimis ſane illis, Phædrum imitatus, vel æmulatus eſſet ſcripta ejus, ut ait lib. 28. Thuanus, *quæ legerat & penes ſe habebat, ſuppreſſiſſet.* Sed Perraltus, qui Faerni fabulas carmine Gallico reddidit, inficiatur, Phædrum Faerno unquam viſum fuiſſe.

VERSIONES.

PHAEDRUS cum verſione *Gallica* proſaria *Albini* prodiit Pariſ. 1647. 12. Interprete vero Lud.

If. *le Maitre* de *Sacy*. Pariſ. 1654. 12. Tum 1687 Francof. 8. Verſio Ren. *Prevoſt* lucem vidit Pariſ. 1702. 12. Fabulæ Phædri LVIII *Gallica* & *Germanica* proſa prodierunt Hamburg. 1707. 12. cum fabulis politicis Pilpæi & aliorum. Metaphraſis *Gallicis verſibus* non infeliciter compoſita a Deniſo [1], additis notis prodiit Pariſ. 1708. 8. Cum proſaria verſione Gallica tota propemodum nova ſive refficta & Tan. Fabri notis emendatius excuſis, atque P. Syri mimis Amſt. 1712. Noviſſime vero Pariſ. 1749. 12. vid. edd. h. a. *Belgica* verſio *Joannis Hilaridis*, prodiit Doccomii anno 1695. 8. *Davidis Hoogſtratani* Amſt. 1704. 4. *Jo. Jacobi Slateri* a. 1708. *Germanica Hartnaccii*, Rudolphiſtadii 1696. 8. *Anonymi*, Hamburgi. 1707. 12. *Melandri*, Eiſenbergæ. 1712. *Salom. Frankii*, Secretarii Vinarienſis Jenæ. 1716. 8. *Ruehlii*, cum notis Lat. Halæ. 1719. 12. & *Anonymi*, Langoſaliſſæ. 1735. 12. *Italica*, interprete *Malaſpina*, Neapoli. 1765. 4. & in Coll. Poet. Lat. Mediol. 1731 - 1747. 4. *Anglica* proſa vertit *Thomas Dyche*, Lond. 1715. In fabularum Æſopiarum delectu, quem Oxonii a. 1698. nitidis typis excudi curavit A. Alſop, fabulæ *Græca* Planudis proſa, quotquot reſpondentes reperiri potuerunt, fabulis ſingulis Phædri præmittuntur, utili adoleſcentibus & jucundo ad comparandum utriuſque linguæ uſum conſilio.

1 Mem. de Trevoux an. pag. 785. Journal des Sav. a. 1707. pag. 184. & a. 1708. Maj. pag. 238.

FABULAE Phædri e Gudiano primum Codice prolatæ in lucem.

Ceterum norit lector, fabulam, quæ incipit:

Ranæ paludis incolæ, ambiguum genus,

non eſſe antiqui auctoris, nedum Phædri, ut perſuaſum Thom. Crenio T. 2. methodor. pag. 403, ſed ſuperbam vanamque ſatyram hominis Jeſuitæ Galli [1], compoſitam circa a. 1670. cum Rex Galliæ bellum in Batavos inſtrueret. Vide artem metricam ab aliquo e Soc. Jeſ. jam quartum editam Viennæ Auſtriæ 1703. 8. in quo libro p. 274. fabula illa ſub titulo *appendicis ad fabulas Phædri ex Bibliotheca Leidenſi*, tanquam exemplum deſcriptionis Poeticæ, bellum contra Batavos a Gallis initum a. 1670, allegorico mytho exponentis, intergra legitur. In editione Burmanniana p. 205. & p. 325. & iis, quæ deinceps eam ſecutæ ſunt, acceſſere fabulæ quinque*, a Gudio e MS. Divionenſi deſcriptæ, & numeris ſuis redditæ, quæ in prioribus deſiderantur. *Crediderim*, *eum plures*, inquit Burmannus, *ex eodem Codice deſcripſiſſe: nam ejus*

1. *Jo. Commirii*, in cujus poematis poſtumis exſtat pag. 134. Et verſa Gallice in libro: *recueil de vers choiſies par le P. Bouhours* pag. 17. nec non in alio, *fables choiſies* V. partie pag. 28. Commirius obiit Parriſiis an. 1702, ætatis 77. Eum quidem ob leporem & feſtivitatem apologorum ſuorum verius quam Gabr. Faernum *Phaedrum alterum* dicendum putat Franc. Joſ. Desbillons in Fabb. Æſ. ſuarum Mannhemii 1768 editarum Vol. I. præf. n. 22. p. 33 ſq.

autographum, ex quo nos eas exhibemus, ut omnibus fere partibus, ita maxime in fine lacerum & mutilum erat, & plura folia, quibus fabulas adhuc quaſdam exſcripſerat (ut ipſius manus in capite primæ hujus fabulæ teſtatur, quæ, ſi bene memini, triginta novas & nunquam editas in has chartas ab ipſo conjectas indicabat) deſiderabantur, & abſciſſa eſſe videbantur. Forte & hæ aliquando clauſtra, quibus continentur, perrumpent. Phædrus ipſe in limine libri primi innuit, arbores etiam, non modo feras loquentes a ſe inductas. At in fabulis, quæ exſtant, nullæ arbores loquuntur, præterquam in una illa, quæ a Gudio reperta eſt.

INDEX EDITIONUM PHÆDRI

FABRICIO-ERNESTINO ET BROTIERIANO AUCTIOR ET IN III AETATES DIGESTUS.

ÆTAS I *NATALIS ſ. PITHOEO-RIGALTINA* 1596 - 1654.

A duumviris Gallis Petro *Pithœo*, principe edendi ex MS. Phædri, & Nic. *Rigaltio*, ejuſdem cum MS. Remenſi collatore, dicta. Pithœi textum ſecuti, illuſtrarunt & auxerunt Phædrum Conr. *Rittershuſius* & Caſp. *Scioppius*. Iiſdem & *Rigaltio* ſucceſſere Jo. *Meurſius*, & Iſaacus Nic. *Neveletus*. Rigaltina III. ſ. nova Phædri editio an. 1630. facta eſt baſis ſecundæ ætatis.

1596 *Pithœana*, princeps: Phædri, Auguſti Liberti, fabularum Æſopiarum libri V, nunc primum in lucem editi a P. *Pithœo*. Auguſtobonæ Tricaſſium, Jo. Odot. 12.

1598 *Rittershuſiana* ſ. *Plantiniana* I: Phædri fabularum Æſopiarum Libri V, a Conrado *Rittershuſio* notis illuſtrati, cum ſpicilegio Caſp. *Scioppii*. Acc. Cælii *Sympoſii* ænigmatum centuria, cum ſcholiis Joſ. *Caſtalionis*; *Ignatii* tetraſtica græca, in fabulas Æſopicas, quæ vulgo Gabriæ cuidam attribuuntur, cum nova verſione latina; *Heſiodi* αἶνος de accipitre & luſcinia & *Ignoti* epigramma in bovem & hircum;

Apologi *Horatiani* & ænigmata veterum poetarum Græcorum & latinorum. Lugd. B. ex off. Plantin. Raphelenq. 8.

Rittershuſius eodem, quo Phædrum Pithœus ediderat anno, Altorfii in Germania eundem recenſuit & illuſtravit; cujus curis junctum eſt Scioppii, tum juvenis xx annorum & quod excedit, doctiſſimi in Phædri fabb. Spicilegium. Operam a Rittershuſio in Phædro præſtitam laudat, & a Rigaltio contemtam ægre fert atque indignatur, doctiſſimus & de Phædro ſigillatim præclare meritus Petrus Burmannus ad Petronium p. 612.

1599 *Rigaltina* I: Phædri fabb. cum notis Nic. *Rigaltii. Pariſ.* 12.

1603 *Wecheliana:* Æſopi fabb. Græco ac latino carmine redditæ ab Aphthonio Sophiſta, Babria ſeu Gabria, *Phaedro* & *Avieno*. Hanoviæ, typis Wechel. 16.

1610 *Meurſiana* ſ. *Plantiniana* II: -- fabb. Æſ. Libri V, ex recenſione & cum Animadverſionibus Joan. *Meurſii*, poſt *Pithœum*, *Rittershuſium*, *Scioppium*, *Rigaltium*. Ex off. Plantiniana Raphelengii. 8. Parum quidem felix in Phædro Meurſius fuiſſe videtur doctis Ariſtarchis; nobis vero minime in omnibus auſis infelix.

——— *Neveleti* I *Francofurtenſi* in collectione: *Mythologia Æſopica* in qua *Æſopi* fabb. *Graeco Latinae* CCXCVII quarum CXXXVI primum prodeunt. Accedunt *Babriae* fabb. etiam auctiores. *Anonymi veteris* fabb. lat. carmine redditæ LX ex exſoletis editt. & Codice MS. luci redditæ: hæc omnia ex Bibliotheca Palatina. Adjiciuntur inſuper *Phaedri*, *Avieni*, *Abſtemii* fabb. opera & ſtudio Iſaaci Nicolai *Neveleti* cum notis ejuſd. in eadem. Francofurti. typis Nic. Hofmanni. Impenſa Jonæ Roſæ M, DC. X. 8. Neveletus, (Pithœi ex ſorore nepos) Pithœi textum maxime ſecutus, Cod. Pithœan. vet. lectionem in margine adſcripſit, paſſim tamen Rigaltio bene obſecutus eſt; in notis ad Phædrum brevius rationem dixit, ipſeque emendationes propoſuit, vel præeunte Rimicio, qui Phædri fabulas ſoluta oratione red-

didit, verbis ut plurimum ſervatis, vel codice MS. Petri Danielis, vel Grutero, quo uſus eſt magiſtro juvenis doctiſſimus, vel etiam proprio adjutus ingenio. Eſt penes G. C. Crollium.

1617 *Rigaltina* II, *Pariſiis Rob. Stephani* majoribus deſcripta literiſque miniatis diſtincta & perquam nitida. 4.

1622 *Neveleti* II. Phædrus (ſeparatim) cum *Neveleti* notis. *Lubecae* ap. Sam. *Jauchium*. 8.

1629 Phædrus. *Pariſ.* ap. Sebaſt. *Chapeletum*. 16.

——— ibid. 12.

1630 *Rigaltina* III. nova, *Pariſ.* ex off. *Cramoiſii*. 12. Hanc novam ed. quam deinde Tan. *Faber* ſecutus eſt, tanquam minus accuratam perſtringit Marq. Gudius Ep. 7 ad Nic. Heinſium.

1637 Phædri ſabb. Libri V. *Lovan*. 8.

1638 Phædri Liber I. *Flexiae*. 4. Flexia eſt *la Fleche* oppidum in Andegavorum finibus.

[1643 Apologi Phædrii ex Ludicris Jac. *Regnierii*. *Divione*. 8. Apologos hos centum ad modum Phædri ſcriptos diſtribuit auctor in partes duas. Longe vero quidem is ab exemplo ſuo abeſt, narrandi tamen jocandique ratione utitur plerumque non inficeta: judicante ſollertiſſimo fabularum latinarum artifice Franc. Joſ. Desbillons in præf. Fabb. Æſopiarum vol. I. Mannhemii an. 1768, p. 30 ſq.]

1647 Phædrus cum gallica verſione proſaria *Albini* (D. de Saint Aubin, ejuſdem qui Terentium gallice tranſtulit) Pariſ. 12.

1654 Phædrus cum gall. verſione Ludovici Iſaaci *le Maitre* de *Sacy*. Pariſ. 12.

ÆTAS II. *FABRO-SCHEFFERIANA*
1657 - 1698.

Phæder, Tan. *Fabri* & Franc. *Guyeti*, a Jo. *Scheffero* producti, ingenio partim illuſus, partim *Fabri*, *Urſini*, *Schefferi*, *Praſchii*, *Freinshemii*, *Waſii*, *Axenii*, *Daneti* cet.

curis illuſtratus. In colligendis variorum notis operam poſuit Jo. *Laurentius*. Dolendum vero, inſignibus Petri *Axenii* an. 1706 apud Sleſvicenſes denati adnotationibus in IV poſteriores Phædri libros, uti jam ante eum defuncti an. 1689 Marq. *Gudii* curis interceſſiſſe præmatura fata. Quanquam quod ad Gudium attinet, magnam jacturæ partem levavit Petrus *Burmannus*, ætatis III ab an. 1698 auctor.

1657 *Fabri* I: c. notis Tanaq. *Fabri*. Salmurii 8. c. Syri Sentent. Baſis eſt Rigaltina III. Catal. Bibl. Haſæanæ Bremæ 1732 memorat inter libros quartæ formæ p. 531. additque: *Notae hae Fabri in ed. Burmanni non apparent v. de illis judicium ap. M. Gudium ep. ad N. Heinſium p.* 8.

——— cum notis Jo. Henr. *Urſini*, & Indice. *Ratisbonae*. 8. Nonnulla in hac ed. reſciſſa, quæ adoleſcentum pudori obeſſe vir præſtantiſſimus exiſtimavit. Notas ejus doctiſſimas male omiſerunt, qui notas Variorum collegerunt.

1660 c. n. Jo. Lud. *Praſchii*. Gieſſæ. 8. Multum profuit Phædro.

——— *Neveleti* III: Phædrus cum variorum ſabb. Francofurti. 8. quæ eſt repetitio primæ Neveleti.

1662 c. n. Jo. Arn. *Pagenſtecheri*. Duisburgi. 8.

1663 *Schefferi* I; Phædrus c. notis Jo. *Schefferi* & Franc. *Guyeti* caſtigationibus criticis. *Upſal.* 8. Baſis eſt Rigalti III & Fabrina.

1664 *Fabri* II (ex I, 1657.) Salmurii. 8.

——— *Freinshemio-Holſtiana:* Phædrus cum hiſtoria congruente ad ſingulas fabulas ex veterum ſcriptis annotata, poſtumiſque Jo. *Freinshemii* animadverſionibus, quibus inſertæ notæ *Rittershuſii*, *Rigaltii*, *Buchneri*, & copioſiſſimo indice, cura Henrici *Holſtii*, Dani. Argentorati. 8. Holſtius viduæ Freinshemii maritus exſtitit heres bibliothecæ, non doctrinæ Freinsh.

1665 *Fabri* III: Phædrus *ſecundum* recenſitus & illuſtratus, cui juncta eſt verſio *Albini* cum animadverſſ. in eam Fabri. Salmurii. 12.

1666 *Schefferi* II auctior, (in qua non raro Tan. Faber castigatur.) Upsal. 8. c. nova præf. de edd. Phædri.

1667 Fabularum Æsopiarum libri quinque, notis perpetuis illustrati & cum integris aliorum observationibus in lucem editi a Joanne *Laurentio*. Amstelod. Jo. Jansson a Wæsberg 8. c. figg. Editio, quamvis a P. Burmanno in præf. Phædri sui an. 1698. iniquius culpata, quod editor aliorum labores truncatos ediderit, damnum hoc iconibus, quas singulis fabb. præpositas ea habet, pensandum crediderit, haud plane contemnenda. Neque enim editor quidquam de aliorum notis omisit, sed quidquid in iis ad criticam rationem pertinebat, in fine libri collectum dedit. habet vero notas Rigaltii, Rittershusii, Scioppii, Meursii, Fabri & Schefferi, præterea præfationes Pithœi, Rigaltii & Rittershusii. Ceterum est mendosa valde.

1668 ex rec. Christophori *Wase*. Londini. Wasius idem est, qui eximium de *Senario* librum edidit.

1671 c. n. Nic. *Rigaltii* & prioribus & posterioribus; quibus suas in L. I. notas attexuit Petrus *Axenius*. Hamburg. 8.

1673 *Fabri* IV, ex II rec. an. 1665.

——— *Schefferi* III, ex II, 8; additus est index Freinshemii (ex ed. Argentor. 1664.) Hamburgi, typis Godfr. Schulzen.

1675 *in usum Delphini I*, cum paraphrasi, notis & indice omnium verborum, cura Petri *Daneti*. Paris. 4.

. . . . Eadem repetita Londini. 8.

1685 ex rec. Jo. Frid. *Kœberi*. Jenæ. 12.

1686 *Schefferi* IV recusa ex III an. 1673. Hamburgi. 8.

1687 *Schefferi* V c. interpr. Gallica. Francof. 8.

1689 *Fabri* V ex ipsius II rec.

1693 *Schefferi* VI c. vers. Belgica. 8.

1694 Eadem VII Franekeræ. 8.

1695 Fabb. Æsopiæ in't. Latyn en nederduits door J. *Hilarides*. *Dokkom*. 8.

1696 notis historicis, ritualibus, moralibus & philologicis in usum scholarum illustravit & subjunxit *Daneti* paraphrasin Dan. *Hartnaccius*. Rudolphistadii, 8.

——— Idem Phædrum dedit cum germanica ſua expoſitione, & imitationibus ad elaborandum tironi proponendis. Francofurti 8.

——— c. n. *Hartnaccii*. Lubecæ. 8.

1697 Stutgardiæ. 8.

ÆTAS III. *GUDIO - BURMANNIANA*
1698 — 1783.

Cujus princeps etiam poſt fatum evaſit Marq. *Gudius*, qui lectionum MSS. Pith. Rem. & Dan. varietate adhibita poſt priores criticos haud pauca emendavit, illuſtravit, tum ex Cod. Divionenſi deſcriptas quinque fabulas reliquit, haud, quod quidam faſtidioſi elegantiarum exiſtimatores volunt, Phædro plane indignas; idem plures ex eodem Codice deſcripſit, quibus etiamnum caremus, quod Gudianæ ſchedæ magnam partem laceræ exſtitere. P. Burmannus his a J. G. Græ-vio auctus primum novam cum notis variorum, etiam *Gudii* & Heinſii ineditis, editionem inſtruxit an. 1698, quam auctiorem an. 1718 edidit, aliquoties dein repetitam; tum anno ſeq. 1719 minorem ſine notis, ſed quæ textum ab ipſo recenſitum exhibet; tandem an. 1727 novum ipſe Commentarium in Phædri fabb. protulit, qui quamvis nimius ſit vel in ſuis defendendis, vel in aliorum auſis confutandis, hodie princeps habetur. Præter eum Dav. *Hoogſtratanus*, Jo. Fr. & Jac. *Gronovii*, tum Th. *Johnſon*, Anglus, ex Germanis vero, Jo. Chph. *Wolfius*, Jo. Ge. *Walchius*, Jo. Nic. *Funccius*, ceteri, ſuo quiſque modo bene mereri de Phædro ſtuduerunt. Supervenit tum Rich. *Bentlejus*, qui auctoritate ſua abutens plus obfuit, quam profuit Phædro, atque ſic ab *Hario*, Anglo, gravius, a *Burmanno* leniori verborum ſpecie prætexta reprehenſus eſt; ex Gallis Steph. Andr. *Philippe*, Sanadoni uſus ingenio invaſit in Phædrum; ſed reprehenſorem invenit ſ. correctorem Gabr. *Brotier*, qui collatione Pithœani MS. & lect. varr. MS. Remenſis, tum Nic. *Perotti*, Phæ-

dri fabulis, ut ſuis olim uſi, denuo facta, priſcam lectionem ſubinde revocavit a Burmanniana & Bentlejana, neque vero ipſe, quantum decet, criticam rationem adhibuit. Quamvis enim haud ineleganti ſenſu polleat, deſideramus tamen in eo ſtudium curatius, quo ſemper recta ſit judicandi velocitas. Ceterum libros fabb. in melius ordinaſſe nobis videbatur.

1698 *Burmanni* I. c. n. varr. Phædri Aug. Lib. Fabularum Æſopiarum libri V cum integris commentariis Marq. *Gudii*, Conr. *Rittershuſii*, Nic. *Rigaltii*, Nic. *Heinſii*, Jo. *Schefferi* & Jo. Lud. *Praſchii*, & excerptis notis aliorum cum duplice indice; curante Petro *Burmanno*. Amſt. ap. H. Wetſtenium. 8.

——— Delectus fabularum Phædri. Oxonii. 12.

1700 c. n. Chriſtiani *Junckeri* I. Lipſ. 12.

——— cum Publii Syri mimis, & Tan. Fabri, Neveleti, & Jo. Lud. *Praſchii* notis. Franekeræ. 12.

——— ex rec. Dav. *Hoogſtratani*. Amſt. 12.

1701 notis illuſtravit Dav. *Hoogſtratanus* in uſum Principis Naſſovii, Jo. Guilielmi; accedunt ejuſdem opera duo indices, verborum quidem accuratior quam Danetus dederat. Amſtelæd. ap. Franc. Halma, cum figg. nitidiſſimis. 4. Laudantur notæ, ut eruditæ & perſpicuæ.

——— *Hoogſtratani* minor. Londini. 12 recuſa.

——— *Johnſoni* I: Phædrus notis ſelectis eruditorum illuſtratus, cum ſubjecto verborum indice, cura Thomæ *Johnſon*. Londini. 8.

——— *Junckeri* II. Lipſ. 12.

1702 Phædrus. Pariſiis. 12.

——— c. verſ. gallica Renati *Prevoſt*. additis octo fabb. e Fontanio & animadverſionibus ordineque conſtructionis in puerorum uſum per numeros ſingulis vocabulis impoſitis notatos. Pariſ. 12.

1703 Phædrus & P. *Syri* ſententiæ locupletiores cum notulis Sam. *Hondly*, ſcholæ Norvicenſis magiſtri, edit. II. Londini. 8.

——— *Gronoviana*: c. n. perpetuis Jo. Fred. *Gronovii*, & emendationibus Jacobi *Gronovii*; accedunt Nic. *Diſ-*

pontini In Phædrum collectanea. 'Amſtelæd. Janſſon Wæsberg. 8.

1706 c. n. Anglicis Guilelmi *Willymot*. Londini. 8.

Schefferi VIII. Hamburgi. 8.

1707 c. verſ. germ. & figg. ære inciſis a Joanna Sibylla *Krauſe* Aug. Vindel. fol.

1708 *Johnſoni* II. Londini 8. rec. ex I. an. 1701.

——— c. Cl. *Deniſe* verſ. gallic. Pariſiis. 8.

1709 Fabb. ad fidem optimarum editionum una auctiores recuſæ, cum paucis brevibuſque notis. Accedunt vindiciæ Cl. *Gudii* a cenſuris Jac. *Gronovii*, Editore Jo Chriſtoph. *Wolfio*, Flensburgi. Jo. Ch. Schumann. 8

——— Fabb. antiquæ ex Phædro deſumtæ, & ſoluta oratione expoſitæ: Acc. *Romuli* fabb. Æſopiæ, c. n. ed. Jo. Frid. *Nilant*. Lugd. B. 8.

1711 c. n. Dav. *Hoogſtratani*. Amſtel. 12.

1712 c. proſaica verſione. Amſtel. 8.

1713 *Walchii* I. ad modum Min. Lipſ. 12. cum *Sympoſii* ænigm. *Gabriae* fabb. Gr. & Lat. Ant. *Liberalis* Metam. Gr. & Lat. *Senecae* & *Syri* ſententiis.

——— c. proſaica verſione. Amſtel. 8.

——— c. n. ſelectis varr. (*Diſpontini*, *Gronoviorum* & *Hoogſtratani*) Tiguri. 8.

——— ex rec. Mich. *Maittaire*. Londini. 12.

1714 *Johnſoni* III. Londini. 8.

1718 *Burmanni* II. *c. n. varr.* auctior quam I. Hagæ. Com. Scheurleer. 8.

——— ex rec. Godofr. *Richteri*. Jenæ. 12.

1719 *Burmanni* III, ſed ſine notis ſ. minor. I. Hagæ Com 12. Habet ea appendicem fabularum XXXIV, quarum quinque ſunt a Gudio detectæ, ceteræ ex Rimicio, Romulo, Anonymo vet. cet. ſumtæ & a Burmanno haud ſatis feliciter, verboſius certe, prout ipſe in præf. novæ Phædri ed. an. 1727 fatetur, in ſenarios redactæ.

——— Germanice verſæ c. phraſibus latinis. Halæ 12.

1721 c. n. germ. Jo. Caſp. *Santoroc*, Prof. Marp. Marpurgi. 8. ex emend. Gudii & Burmanni.

1722 c. n. Germ. Halæ. 12.
1724 *Walchii* II. Lipſ. 12.
1726 Phædri fabb. & P. *Syri* & aliorum veterum ſententiæ, recenſuit & notas addidit Rich. *Bentlejus*. Cum ejuſdem Terentio. Cantabrig. 4. Baſin is quidem fecit textum a Burmanno in edit. an. 1718 conſtitutum, ſed eum pluribus locis mutavit, ratione in notis ſatis imperatorie reddita. In quo cum audacius egiſſe videretur, eas correctiones ſub examen ſeverum vocavit Anonymus (Franc. *Hare*) in ep. Critica, quam quoque Burmannianæ novæ an. ſeq. ſubjectam legas. Eidem audaciæ Bentleji criticæ adverſariam conſtituit Burmannus præfationem novæ illius editionis.
——— *Daneti* III. in uſum Delphini. Pariſiis. 4.
1727 c. n. Jo. Dav. *Leonardi*. Jenæ 12.
——— *Burmanni* IV, cum novo Commentario I. Leidæ, Sam. Luchtmans. 4. Quæ editio inter Burmannianas princeps habetur ob novum commentarium, prolixe tamen ſcriptum, & in quo forſan nimium ſibi ſuiſque emendationibus indulgens, a veriori critica ratione & interpretatione aberrat. Præfatio de re critica & modeſtia in ea conſervanda oppoſita quidem eſt Bentleji audaciæ, ſed loquentiæ multum quoque habet, ceterum ab obſervationibus ex Nic. Perotti epitome fabularum Æſopi, Avieni & Phædri repetitis commendatior. Librarius denique ſubjecit huic editioni epiſtolam Harii adverſus Bentleji Phædrum.
——— Fabb. Æſopiarum libri V. Publii Syri & aliorum veterum ſententiæ recenſuit & notas addidit Rich. *Bentlejus*. cum ejuſdem Terentio. Amſtel. 4.
——— Pariſiis ap. fratres Barbou. 12. cum P. Syro & verſ. Gallica nova notiſque criticis, moralibus & hiſtoricis, numeriſque verborum ad conſtructionem grammaticam facientibus, auctore P. *Fabre* Presb. Orat. (idem qui Fleuryi Abbatis hiſt. eccleſ. continuavit) prodiit; quod didicimus ex comm. rerum novarum Lipſ. germ. ſcriptis an. 1728. n. VIII, p. 73.
1728 c. n. germ. Em. *Sinceri*. Aug. Vindel. 8.

1729 E typographia regia, Parifiis, 8. cum Syri ſententiis.
1730 Londini, typis J. *Brindley*, 12.
——— c. n. Em. *Sinceri* germ. Aug. Vind. 8.
1735 Eadem, *ibid.* 8.
——— *Walchii* III. Lipſ. 12.
1738 recenſuit J. Nic. *Funccius*. Rintelii. 8.
1740 Lugd. B. 8.
——— ad exemplar *Burmannianum*, recenſuit, ſuaſque adnotationes adjecit Jo. Mich. *Heuſinger*, Iſenaci. 8.
——— & Fl. *Aviani* fabb. cum adnotationibus ad utrumque. Accedunt fabb. græcæ latinis reſpondentes, & Homeri Batrachomyomachia. *Patavii*. 12
1741 ex ed. *Burmanni*. *Glaſguae*. 12.
——— Florentiæ. 12.
——— c. verſ. Italica in Collectione poetarum Latinorum 1731 - 1747. Mediolani edita in Aula regia. 4. Tom. X.
1742 Gœttingæ. 12.
——— Opera Jo. Bapt. le *Maſcrier*. Pariſ. Couſtelier. 12. cum Aviani fabb. & Syri ſententiis.
——— Burmanniana minor Phædri, cum appendice, recuſa *Berolini*. 12. Ed. V.
1743 Fabb. Libri V, cum appendice. Olim cl. Jo. Dav. *Leonardus* commentariis ac indicibus inſtruxit, jam nunc collectione phraſium & ſententiarum Phædrinarum annexa, recognovit M. Gottfr. *Buchnerus* Eiſenberg. Jenæ, 12. Buchnerus quidem levibus notulis paſſim additis & futili illa phraſium collectione ſuperſedere potuit.
1744 c. n. germ. Halæ. 12.
1745 *Burmanni* III. c. comm. varr. Amſtel. ap. Luchtmans. 8. Index auctior eſt ex ed. Burmanni cum novo comm. Leidæ. 1727.
1746 Fabb. LXXIII ſelectæ, cum ſylloge vocabb. Jenæ 8.
1747 Phædri & Aviani fabb. cum notis Stephani Andreæ *Philippe*. Lutetiæ Pariſ. 12. Uſus eſt editor annotationibus ineditis Natalis Stephani *Sanadon*, qui editionem Phædri meditatus erat; neque illum puduit

ejus, qui præiverat, nomen dissimulare. Sanadonius profecto in hoc elegantiorum literarum genere versatus erat maxime, sed adversus emendandi pruritum non satis firmus, ipso Broterio in præf. Phædri sui novissime editi p. XIV judicante; quod quidem ex Philippei editione satis superque patet.

1749 *Hoogstratani.* Harderovici. 8.

1751 *Walchii* IV. Lips. 12.

——— c. n. *Santoroci.* Giessæ. 8.

1752 c. n. *Sinceri.* Aug. Vind. 8.

——— Burmanniana minor recusa Berolini. 12. Editio VI.

1753 Ph. fabb. Syri sententiæ & Dion. Catonis disticha de moribus curante J. Petro *Millero.* Berolini. 8.

1755 *Burmanni* IV. c. n. varr. Lugd. B. 8 mai.

——— Burmanniana minor, recusa Halæ. 12. cum app.

1757 c. n. *Sinceri* Aug. Vind. 8.

——— Sel. fabb. cum sylloge vocabb. phras. & sententiarum, cur. S. F. H. Jenæ. 8. cf. an. 1746.

1758 *Phaedri* & Fl. *Aviani* fabb. cum annotationibus, acc. fabulæ Græcæ latinis respondentes & Homeri Batrachomyomachia. *Patavii.* 12. ex Patavina I recusa.

1765 Libb. V. recensuit & facili solutaque oratione exposuit Jo. Nic. *Funccius.* Rintelii. 8.

1767 Burmanniana minor. Berolini. sumtu Gottl. Aug. Langii. 12.

1769 ex rec. & cum expositione Funccii. Rintelii. 8.

——— Harlesii obss. crit. in Terent. *Phaedrum*, Vell. Paterc. & Demosth. de Cor. Progr. II. Coburgi. 4.

1772 *Heusingeri* II Isenaci. 8. repetita ex I. an. 1740.

——— cum progymnasmate poetico s. Metaphrasi Senariorum in usum scholarum. Studio M. T. A. Lips. ap. Sommer. 8. Textus nonnunquam emendatur. Metaphrasis senarios reddit per hexametros satis pulchre cadentes eosque ad senariorum intelligentiam facientes.

1773 *Burmanni nova* cum commentario. Mitaviæ ap. Jac. Frid. Hinzium. 8. mai. repetita ex illa an. 1727; sed omissa Harii adversus Bentlejum epistola.

——— Aureliæ. 16.

——— Burmanniana minor. Norimb. ex off. Riegel. 8 min.

1776 c. Sylloge vocabb· phraſ. & ſentt. per Jo. Jac. *Schatz*, Gymnaſiarcham Argentor. Francof. ap. Brœnnerum. 8. cf. an. 1746 & 1757.

1778 Norimbergæ e recenſ. Burman. ex off. Riegel. Edit. II. 8 min. ſ. 12.

1779 & 1780 Phædri fabb. Æſ. libri V. c. n. varr. edidit Jo. G. S. *Schwabe* P. I, L. I & II. continens 1779. P. II, L. III & IV. continens 1780. P. III, L. V & appendicem, notas Jac. *Tollii* ineditas & indicem continens. Halæ ap. Gebauer. 8. Quidquid bene maleve egerunt critici, farrago eſt hujus libelli.

1783 c. n. & ſupplementis Gabrielis *Brotier*. Acceſſerunt parallelæ Joannis de la Fontaine fabulæ. Pariſiis, typis Jo. *Barbou*. 12. Editio nitida; cui quantum ſit tribuendum, judicatum eſt in Comm. rer. nov. Gœtting. an. 1784. partic. 67. p. 665 —— 669.

1786 c. n. & emend. Fran. Joſ. Desbillons. ex ejus Comment. pleniore deſumtus 8. Mannhemii.

Nos quidem Phædrum daturi, quantum licet, purum, Burmannianam ipſi contulimus cum lectt. Codicum, quas alii, maxime Gudius, enotarunt; Rimicii, Romuli, Perotti, aliorum fabulas, denuo illuſtriorem quemque Criticum conſuluimus, atque ſic ſinceriorem quæ nobis viſa erat, lectionem induximus; in quibuſdam vero, quæ ab illis deſperata aut male ſanata erant, nova ratione emendandis G. C. *Crollio* obſecuti ſumus. hinc novæ lectt. L. I. fab. I, ℣. 5. ſq. II, 16; (nova interpunctio I, 4) XIII, 1, 2; XVI, 1, 2; XXI, 9; XXV, 7, 8; XXX, 7. L. II, fab. V, ℣. 20; VII, 8; Epil. ℣. 15. LIII, prol. ℣. 22; fab. VI; 9; VII, 3; X, 7. Diſpliceat forte nonnullis, quod fabulam alias XXV, libri IV, cum Brotierio epilogum fieri juſſimus L. III, cujus prologo ad Eutychum optime reſpondet;

pariterque, ne L. V prologus eſſet duplex, L. IV nullus, illius prologum priorem huic reddidimus, ſuumque epilogum, qui Libri V fab. V & VI vulgo interpoſitus legitur. Sic quidem L. IV totus Particuloni ſacer ſit, L. V Phileto. Neque enim utriuſque nomen conferre viſum in unum hominem. Quidquid ejus ſit, prologi nobis L. IV & V emendandi vel ſanandi videbantur, uti Lib. IV, fab. XXIII, 17; dein L. V, fabulæ II caput ex Perotto reſtitutum, fab. III, 11 & 12; IV, 5; VII, 25; VIII, 2; X, 9. cetera. Incuria autem factum, ut pag. 85, fabulæ V Gudianæ de arboribus correctio Petro *Burmanno* vulgata tribueretur, quæ potius eſt a Dav. *Hoogſtratano*. Exſpectabamus quoque expoſitionem quorundam locorum Phædri a G. C. *Crollio*, huic Vol. adjungendam. Sed id otii hodie ipſi non datum erat. Interea dum illa alio tempore proditura ſit, exſpectemus virorum & doctrina & intelligentia præſtantium de textu noſtro judicia.

DE
PUBLIO SYRO
EX
Jo. Alb. Fabricii Bibl. Lat. T. I. cap. XVI.

PUBLIUS Mimographus, natione *Syrus*, ob ingenii ſolertiam a Patrono ſuo manumiſſus, Julii-que Cæſaris Imp. qui Laberianam aſperitatem ferre nequibat, favorem expertus, obiit, incertum quo anno Auguſti Imp. Ejus præter Hieronymum in Chronico ad Olympiad. 184. ſæpius meminit cum laude Seneca Philoſ. Plinius 8, 51. Hiſt. Gellius 17, 14. Macrobius 2. Saturnal. 2 & 7. & Petronius *Ciceronem diſertiorem*, *Publium honeſtiorem* ait fuiſſe, ad quem locum conferendus Douſa lib. I. præcidan. in Petronium cap. 17. Pueris ediſcendos olim traditos fuiſſe Publii Syri verſus colligas ex Hieronymi ad Lætam Epiſtola. Ex *Mimis* ejus ſive *ſententiis* lepidis & ad communem uſum accommodatiſſimis pervenerunt ad nos non paucæ, ſive ſervatæ ab antiquis, Seneca, Gellio, Macrobio, ſive ſeparatim in codicibus antiquis deſcriptæ. Sane leguntur ſub Publii nomine, legendæ ſæpius pueris ac totæ ediſcendæ ſententiæ ejuſmodi 982. ſingulis

verſibus Jambicis expreſſæ vel trochaicis, licet in his ſint fortaſſis aliquæ, quæ ipſum non habeant auctorem. Inter editiones præſtare putem illam, quæ ſecundum literarum ſeriem digeſta, & a *M. Velſero* a. 1608. ex MS. Friſingenſi locupletata cum notis ab *Adamo Sartorio* curatis ſubjicitur M. Antonii Mureti Orationibus & Epiſtolis, Ingolſtadii, ac Lipſiæ ex editione Cl. Jacobi Thomaſii, iterum iterumque recuſis & noviſſime Veronæ 1729. 8. tomo quarto Mureti operum. Edidere eoſdem Mimos, ſed nec numero eodem, nec ordine *Deſiderius Eraſmus*, qui e Codice Cantabrigienſi recenſitos ac caſtigatos paraphraſi etiam explicavit Baſil. 1502. 4. *Georgius Fabricius* viginti antea ineditas P. Syri ſententias primus vulgavit in ſua ſententiarum collectione excuſa Lipſiæ 1550, & cum aliis ſententiis a ſe collectis Lipſiæ 1567-8. *H. Stephanus* ad calcem ſententiarum e Comicis græcis & latinis a. 1563. forma minore. *Janus Gruterus* una cum tragœdiis Senecæ a. 1604. 8. apud Commelin. & in Florilegio Ethico Politico ſententiarum ac proverbiorum cum ſuis notis edito Francof. 1610. 8. tribus volum. in quo opere T. 1. pag. 159. ſeq. occurrunt P. Syri ac Senecæ ſententiæ aureæ recognitæ ad MSS. Palatinum & Friſingenſe, additis p. 793. ſeq. Gruteri notis. *Dionyſius Gothofredus* ad calcem Senecæ, *Tan. Faber* ad calcem Phædri, *P. Pithœus* inter Poematia antiqua, & *Joſephus Scaliger*, qui Græcis etiam verſibus ſelectas ſententias 375. reddidit. Vide ejus

Poemata Græca a Petro Scriverio edita Lugd. Bat. 1615. 12. pag. 115. ſeq. Occurrunt etiam P. Syri ſententiæ, ne de Morelliana editione memorem Pariſ. 1611. 8. in *Theodori Zwingeri* morum Philoſophia 2. Tomis edita Baſil. 1575. 8. Ex MSto Friſingenſi eaſdem recenſuit poſt Gruterum *Huppertus Faber* Ubius Agrippinas Venet. 1618. Denique ſententiæ P. Syri 352. cum notis & comm. copioſiore poſtumo *Jani Gruteri*, antea inedito, atque ad calcem rejecta *Græca* metaphraſi *Joſephi Scaligeri*, centum aliquot verſibus ex autographo ipſius locupletata prodierunt nitide excuſæ Lugd. Bat. 1708. 8. curantibus Sigeberto Haverkampo & Abrahamo Preygero. Cum verſione Græca Scaligeri, notiſque Eraſmi & *Emanuelis Swedbergii*, Upſal. 1709. 8. *Gerhardi Voſſii* filii notæ & caſtigationes, quas cum *H. Ernſtii* variantibus lectionibus circa annum 1637. edere voluit, haud viderunt lucem. Vide Voſſii Patris Epiſtolam 299. ad Salmaſ. *Gallicam* Caroli Montani, qui circa a. C. 1500. floruit, Metaphraſin memorat in Bibliotheca Gallica Crucimanius. Denique editioni Phædri ſubjecere etiam *R. Bentlejus* ad calcem Terentii, cum notulis criticis an. 1726, & editores Pariſinarum Phædri an. 1729, 1742; Walchius ſuo Phædro, & J. P. Miller Berolino-Ulmenſi an. 1753. Noviſſime in uſum Gymn. Fridericiani edidit Sal. *Raniſchius*. Altenburgi. 1756. 8.

10242404

DE RUFO FESTO AVIENO ET AVIANO FABULARUM SCRIPTORE

EX

Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Lat. T. III. cap. XI.

AVIENI ætas, patria, & non videri fuiſſe Chriſtianum.

RUFUS FESTUS AVIENUS, patria fortaſſis Hiſpanus, ni conjecturæ, ex Hiſpaniæ & Hiſpanorum laudibus, & Punicis Himilconis annalibus, ab Avieno citatis petitæ, fallunt. Vide Nic. Antonium lib. 2. Bibliothecæ veteris Hiſpanæ cap. 9. ubi Chriſtianum quoque fuiſſe contendit Avienum, argumentis admodum levibus uſus. Pro Hiſpania pugnat & Ramireſius ad Luitprandum, n. 204. Meo quidem judicio non erraverit, qui Italum patria, & a Chriſtiana religione dixerit alienum; præcipue ſi de hoc noſtro accipiendum monumentum, quod Romæ in villa Cæſarini exſcriptum dedit Spo-
nius de aris ignotorum Deorum p. 41, & in Miſcellaneis eruditæ Antiquitatis p. 99.

R. Feſtus V. C. de ſe ad Deam Nortiam.

Feſtus Muſoni ſoboles proleſque Avieni,
Unde tui latices traxerunt Cæſia nomen,
Nortia, te veneror lare cretus Vulſinienſi,
Romam habitans gemino Proconſulis auctus honore,
Carmina multa ſerens, vitam inſons, integer ævum,
Conjugio lætus Placidæ numeroque frequenti
Natorum; exultans, vivax & ſpiritus illis:
Cetera compoſita fatorum lege trahuntur.

Sancto Patri Filius Placidus.

Ibis in optatas ſedes, nam Jupiter æthram
Plaudit, Feſte, tibi, candidus ut venias.
Jamque venis, tendit dextras chorus inde Deorum,
Et toto tibi jam plauditur ecce polo.

Aliam inſcriptionem græcam in Rufum Feſtum Græciæ Proconſulem vide ap. Gruterum f. CCCCLXIV, 7. & Fabrettium p. 742. Diverſi ab hoc quatuor vel quinque Avieni, qui conſulatum Romæ geſſerunt, & Avienus, ad quem exſtant Ennodii Ticinenſis Epiſtolæ, item alter, ad quem exſtat Epiſtola Joannis II, Papæ. Noſter vero, quem admodum juvenem inducit Macrobius in Saturnalibus, memorantque S. Hieronymus in Epiſt. ad Titum, ac Servius ad Georgic. p. 97. Theodoſii junioris, Marciani & Leonis Thracis temporibus (non vero Diocletiani, ut Petro Crinito viſum) clarus, varia latino carmine compoſuit, quibus ingenii & doctrinæ laudem conſecutus eſt non vulgarem. v. & Burmann. Anth. T. I. p. 494.

METAPHRASIS Arati, & Dionyſii Periegetæ.

Sed illis deperditis, exſtat hodie, poſtremo forte loco ab auctore elaborata, ſed ſcriptorum ejus minime poſtrema, *Metaphraſis Arati*, verſibus hexametris: quæ primum prodiit Venetiis 1488. 4. cum ejuſdem Metaphraſi Dionyſii, ſive Orbis terræ deſcriptione, Germanici Arato & ſcholiis, Ciceronis fragmentis Arateis & Sereni Sammonici carmine, apud Victorem Piſanum, curante *Georgio Valla* [1], & eodem anno, ibid. itidem in 4. apud Antonium de Strata Cremonenſem; una cum Orbis terræ deſcriptione, & Germanici ac Ciceronis Arateis & Sereni libro de Medicina: deinde cum Arato & aliis illius Metaphraſibus ibid. apud Aldum 1499. fol. & Pariſ. 1559. 4. apud Guil. Morellum cum ejus caſtigatt. & ex officina S. Andreana 1589. 8. Denique hæc metaphraſis ab *Hugone Grotio* Syntagmati Arateorum inſerta & notis illuſtrata eſt Lugd. Bat. 1600 4. In eam non pauca Arato intacta Avienum inſeruiſſe, idem Grotius obſervat, petita e Metaphraſi Germanici & Græcis Arati ſcholiaſtis, quos pag. 103. diligenter ab Avieno conſultos haud ambigit, ac viciſſim monet, Avieni lacinias quaſdam Germanico etiam eſſe inſertas. Arati optimum non ſolum paraphraſtem

1 Chriſtianus Daumius ad 129. notat editionem hanc maxima parte expreſſam a Petro Pithœo.

ſed etiam interpretem agere Avienum non diffitetur Joſephus Scaliger ad Manilium p. 51. Non alius eſt Avieni *liber de ſtellis*, quem *Flaviano*, eidem, ad quem ſcripſit Symmachus, ab eo dicatum legas in Adverſariis Luitprando ſuppoſitis p. 491. ubi plura de Avieno Ramireſius de Prado p. 492.

ORAE maritimæ deſcriptio.

Metaphraſis Periegeſeos Dionyſii Alexandrini eodem hexametri carminis genere, quæ cum *fragmento* inſigni *deſcriptionis oræ* [1] *maritimæ* a Gadibus ad Maſſiliam uſque jambis elegantibus ab eodem Avieno poſt Periegeſin compoſitæ, & Probo [2] cuidam, cognato ſuo, quem liberûm inſtar diligere ſe ait, inſcriptæ, prodiit Venetiis a. 1488. 4. & longe emendatior inter vetera poematia, curante *P. Pithœo*, Pariſ. 1590. 8. & 1599. 12. a quo tempore Madriti recuſa ſunt opuſcula Avieni, quæ exſtant omnia, typis luculentis, ſed vix uſquam, quam Pithœus ediderat, caſtigatiora, fabulas quidem haud

1 Pricæi notæ in Avieni deſcriptionem oræ maritimæ lucem non aſpexere, quas memorat ad Apuleji Metamorph. p. 95. Vehementer autem fallitur Baleus, qui oram maritimam fabularumque libellum non Avieno, ſed Rufino cuidam poetæ Britanno tribuit, caſtigatus ab Uſſerio c. 16. de origine Eccleſiar. Britannic. & Nicolao Antonio loco laudato. Plura *orae maritimae* loca emendat Martinus Opitius Libro variarum lectionum C. VII & XI. edito Dantiſci a. 1637. 4.

2 Hic videtur eſſe Sextus Petronius Probus, de quo conſule ſi placet Reineſium Epiſt. ad Hofmannum pag. 582. 584. 638. & in Inſcriptionum ſyntagmate.

dubie ex ipſo Pithœi exemplo 1634. 4. edente ex Ramireſii Bibliotheca *Petro Melian*, in conventu Juridico Guatimalenſi Novæ Hiſpaniæ Regio, ut vocant, Auditore. Quod vero in Bœcleri libello de ſcriptoribus Græcis & Latinis legitur, Avieni Metaphraſin Dionyſianam in Scaligeri theſauro temporum editam reperiri, memoriæ vel librarii hallucinatio eſt. Nam etſi Joſepho Scaligero conſtitutum erat Avienum recenſere, & una cum ſuis commentariis edere, id tamen neque in theſauro temporum, neque alibi uſquam præſtitit, non magis quam Caſp. Barthius, qui XLIX, 13. Adverſar. novam Avieni promiſit editionem, quamvis & hic quoque in iiſdem Adverſariis, aliquot capita, præter illud, quod jam indicavimus, ejus Metaphraſi Dionyſianæ impendit, nempe XXVIII, 16. & XLVI, 16. quemadmodum deſcriptionem oræ maritimæ illuſtrat XXVIII, 12 & 14. ubi etiam obſervat, Lud. Nonium in Hiſpania ſua optime de pluribus locis hujus poematis eſſe meritum, quod etiam vere affirmare licet de Petro de Marca, qui, in præclaro marcæ Hiſpanicæ opere Avienum ipſum ſcriptorem luculentiſſimum vocat, poetam vero tam excellenti ſpiritu, ut nonnunquam ſe ipſe vix videatur capere. Ad locum ejus de templo Elagabali Emeſeno Solis, verſ. 1094. ſqq. conferendus Salmaſius ad Vopiſcum, T. 2. p. 478. Nec alienum eſt a veriſimilitudine, immo a vero etiam, quod Avienus illa de ſuo addidit, neutiquam ex integriore Dionyſii Codice expreſſit.

FABULÆ & alia.

Sub ejuſdem *Avieni* nomine exſtant *Fabulæ Æſopi XLII*, elegis ſcriptæ, & *Theodoſio* cuidam inſcriptæ, quem, *Theodoſi optime*, alloquitur. Sed auctoris nomen in Mſſ. variat. In nonnullis *Anianus* dicitur, in melioribus & pluribus *Avianus*, quod ſecuti ſunt *Pulmannus* & *Cannegieterus*, qui in Diſſertatione de hujus Aviani ætate & ſtilo diſputat in hanc partem, ut *Avianus* alius ſit ab *Avieno*, vixeritque ſeculo Antoninorum: *Theodoſium* putat fuiſſe privatum, amicum Aviani, non vel Imperatorem, vel Saturnaliorum auctorem, ut quibuſdam viris doctis placuit. De Codicibus ſcriptis harum fabularum v. Cannegiet. in præf.

Exſtat duplex Commentarius vetus in has fabulas: alter antiquior, quem habuit Barthius v. Adverſ. XXXIX, 7. inſcriptus nomine Albini, incertum Carolini illius an alius: alter junior, editus aliquoties ſub *commenti* nomine in *Aviani fabulas*, nullius ille pretii.

INDEX EDITIONUM
AVIANI FABULARUM
AUCTIOR FABRICIANO.

ÆTAS *NATALIS* tres tulit editiones, quarum

1494 Vetuſtiſſima ſine loci notatione habet *Aviani* fabulas cum Anonymi Commento & fabulas *Anonymi veteris*; conſulta Neveleto, de quo ad an. 1610.

——— *Daventriae*, hoc tit. *Æſopus moraliſatus cum bono Commento.*

——— ſ. a. *Ulmenſis*, quæ tantum fabulas Aviani XXVII habet, de qua vide *Nilantii* præf. ad ſuam fabularum editionem an. 1709.

Memorabilis etiam eſt verſio germ. fabb. Æſopi, Rimicii & Aviani: in cujus calce leguntur verba:

1498 Eſopus der hochberühmbt Fabel Tichter mit ettlichen zugelegten Fabeln Rimicii und *Aviani* endet ſich hie. Gedruckt und volendet in der keyſerlichen ſtat Augſpurg von Hanſsen Schœnperger, am dienſtag nach ſant Bartholome Nach Chriſti Gepurt MCCCC und LXXXXVIII fol. cum figg. ligno deſcriptis. Sic legitur in indice quorundam librorum ſæculo XV impreſſorum, quos poſſidet Altorffii Chr. Gottl Schwarzius. &c. Norimb. 1727, P. II, p. 61. ubi & ſubnotatur in præfatione dici, D. Henricum Steinhobel has fabulas in linguam Germ. tranſtuliſſe: exſtare quoque antiquiorem harum fabb. editionem ſine nota temporis & loci.

ÆTAS II critica 1585 —— 1713.

inſtituta a Theod. *PULMANNO*, qui Aviani fabulas e tribus MSS. emendatas edidit, ſeque primum edere credidit, inſcius antiquiorum edd. Excepere eum Pe-

trus *Pithœus*, Iſaac Nicolaus *NEVELETUS*, qui eaſdem denuo cum Cod. MS. Pal. & duabus edd. priſcis, vetuſtiſſima & Ulmenſi contulit & correxit; ſed Petrus *Rigaltius* libris ſcriptis ad eas recenſendas uſus eſt.

1585 *Pulmanniana* I: Rufi Feſti *Aviani* Æſopicarum fabularum liber a Theod. *PULMANNO* editus, additis variis lectionibus. Antverpiæ ex off. Chph. Plantini. 12.

1590 *Pithœana* I: Rufi Feſti *Avieni* ad Theodoſium Æſopicæ fabulæ XLII Pariſ. ap. Gillium 8. inter vetera poemata latina cum Epigr. in unum corpus redacta ex bibl. & cum emendd. P. *Pithœi* edita ib. eod. cf. ſupra Fabricium de Avieno, § III. & Bibl. Lat. l. IV, cap. I, § VII, T. III, edit. Erneſt. p. 241 & 250 n. 27.

1596 *Pithœana* II: Eadem repetita in collectione Pithœana Lugduni. Sumptibus Jac. Chouet. 8.

1602 *Pulmanniana* II: Antverpiæ ex off. Plant. 16.

1603 Eadem repetita typis *Wechel.* Hanoviæ. 16.

——— Ex rec. *Pithœi* in Corp. poet. lat. Aureliæ Allobr. Excudebat Sam. Criſpinus. 4. quæ eſt hujus corporis editio I, vol. II.

1607 Lugd. Bat. cum aliis per Petrum *Rigaltium*, qui tribus libris ſcriptis uſus eſt ad eam recenſionem, de qua v. Cannegieteri præf. ad Avianum p. 11.

1610 *Neveletiana* I: in Mythologia Francof. 8. vid. indicem noſtrum ed. Phædri.

1611 In Corpore poet. lat. Genevenſi. Edit. II. vol. II. lib. IV, p. 458--465.

1616 In Alex. *Ficheti*, corp. poet. lat. & purgato & auctiori. Lugd. 4.

1619 ex rec. *Pithœi.* Genevæ.

1626 Fabulæ Æſopicæ & Aviani. Accedit ranarum & murum pugna gr. & lat. Lugduni Bat. 8. cum figg. Vergilii *Solis* (chalcographi & poetæ Norimberg.)

1627 In Corp. poet. lat. Genevenſi. Edit. III, vol. II.

1628 *Rigaltina* II, ſ. ex rec. Petri *Rigaltii.* Repetita Genevæ ap. Tornæſ.

1630 *Rigaltina* III, in Rigaltina III Phædri.

1634 Hiſpanienſis ex rec. *Pithœi*, inter opuſcula *Aviani* junctim edita a Petro *Melian*, Hiſpano; cf. ſupra Fabricium, p. XLI ſq.

1649 Fabb. Æſopi, gr. & lat. Ea item, quas *Avianus* carmine expreſſit &c. Arnhemii, 8. c. figg. elegantibus.

1660 *Neveletiana* II: in Mythologia Æſopica repetita Francof. 8. ex I an. 1610.

ÆTAS III

recentior, quam illuſtravit ſuo modo *Maittarius*, magis vero *Cannegieterus* & dein *Pariſienſes* & *Patavinae* Aviani Phædro juncti editiones.

1713 In Corp. poet. latin. edente Mich. *Maittario*. Londini fol. vol. II.

——— ex rec. *Maittarii*. Londini. 12.

1731 ſqq. in corp. poet. lat. Mediolanenſi.

——— *Cannegieteri:* Flavii *Aviani* fabulæ, c. comm. ſelectis *Albini* ſcholiaſtæ vet. & n. Iſ. Nic. *Neveleti* integris & Caſp. *Barthii*, quibus ſuas animadverſiones & diſſ. de ætate & ſtilo Aviani addidit Henr. *Cannegieter*, Amſtel. 8. quam editionem cum illa *Neveleti* I ipſa collatam ſecuti ſumus, ſimul vero interpunctionem in melius reximus.

1740 *Patavina* I Aviani (Phædro juncti) fabulæ cum annotationibus. Patavii, 12. cf. Indicem edd. Phædri noſtrum.

1742 *Pariſina* Aviani cum Phædro. Pariſiis apud Couſtelier. 12.

1758 *Patavina* II: Aviani cum Phædro. Patavii, 12.

Inter Mſſ. Gudianos fuit Commentarius in has fabulas *Jo. Cabeliavii:* qui inde ad Fabricium venerat. Ex eo excerpta lectionum edita ſunt in Obſſ. Miſcell. T. IV & V. In iiſdem *Th. Wopkenſii* Adverſaria in has fabulas T. VII. ſeq. ſive potius in notas Cannegieteri. Ei reſpondit hic T. VIII, p. 1-20. huic ille ibid. p. 278. ſ. In eodem volumine reperiuntur *Guieti* notulæ in has fabulas, quas ſervavit *Scheffe-*

rus in Anecdotis ſuis. Diſticha epimythia, quæ ſingulis Avieni fabulis ſubjunguntur, omnia ſuppoſititia eſſe καὶ κακοῦ κομμάτος, & in Codice Galei nulla comparere, notat Richardus Bentlejus ad Horatium p. 433. cui adde, quæ a Cannegietero monentur p. 291. ſq. Auctor gloſſarum ad Inſtit. lib. 3. tit. 26. commemorat *fabulam Aniani* (Aviáni) *de ſocietate leonina*. At nulla hodie legitur fabula hujuſmodi, neque in editis, neque in tribus Codd. Mſſ. quos conſuluit Rigaltius, ut ipſe monet ad Phædrum p. 409. editionis Burmannianæ. Omnino fabularum hic liber videtur dudum interpolatus etiam aliorum fabulis additis fuiſſe.

Feruntur præterea ſub Avieni nomine 1) *breve carmen ad Flavium Murmecium* V. C. quo malogranata mitti ſibi rogat, fellito oris ſapore affectus. Fallit Crinitus, qui lib. V de Poetis c. 80. hoc carmine Oram maritimam nuncupari Murmecio affirmat. 2) *Sirenum allegoria*, Avieno haud indignum poemation, *Juliano* cuidam ab aliis adſcriptum. Vide lib. 4. Vett. Epigramm. pag. 127. 3) *Ad amicos, de agro ſuo*, inter Martialis Epigrammata libro IV quondam editum, ſed a P. Scriverio auctori ſuo reſtitutum. Vide Nic. Antonii Bibliothecam veterem Hiſpanam T. 1. 161. Occurrunt hæc poematia in editione Arati Avieni Veneta a. 1488, & Madritenſi Avieni ſcriptor. a. 1634. ut P. Pithœi Epigrammata vetera omittam, & Burm. Sec. Anthol.

Livium totum jambis expreſſerat Avienus, non poetam, ut quibuſdam viſum, ſed hiſtoricum: ſed

ea Metaphrasis intercidit. Memorat Servius ad X Æneid. 388. *Rhæti de gente vetusta Anchemolum. Hæc fabula in latinis nusquam invenitur auctoribus. Avienus tamen, qui totum* (Virgilium &) *Livium jambis scripsit, hanc commemorat* (in illa nempe Metaphrasi Livii, obiter) *dicens Græcam esse.* Male ex hoc Servii loco viri docti quidam affirmarunt, Virgilianas fabulas composuisse Avienum. nam verba *Virgilium &* sunt spuria.

Ni ætas obstaret, ad eundem Avienum cum Vossio de Hist. lat. conferri posset *Breviarium de Victoriis ac provinciis populi Romani ad Valentinianum II Augustum*, prosa scriptum, & jam sub *Sexti Rufi*, jam sub *Rufi Festi* nomine vulgatum. At enim qui sub Valentiniani I imperio senem se ævoque graviorem profitetur, idem sub Theodosio, cum Macrobius sua scriberet Saturnalia, juvenis esse non potuit. Itaque malo assentiri Nic. Antonio, qui lib. 2. Bibl. Vet. Hispanæ c. 6. p. 261. Sextum Rufum breviarii auctorem a Sexto Rufo Avieno distinguendum duxit.

Sed de hoc breviario ejusque edd. uti & de opusculo de regionibus urbis Romæ alibi dicendum.

1 Auctor illud Valentiniano obtulit extremis temporibus ejus imperii post victoriam a Gothis partam. Vide Salmas. Epist. p. 21. Ex hoc Rufi Festi breviario ad verbum quædam mutua-

tus est Ammianus Marcellinus, ut in extremo libri XXII observavit vir summus Henr. Valesius. Jornandes quoque Rufo usus est, ut Rufus Eutropio & Floro.

DE ANONYMO

Vetere fabularum auctore.

cf. Fabricii Bibl. Lat. ed. Ernesti L. II, c. II, § III; T. II, p. 28 - 30.

1. ANONYMUS vetus Christianus, fabularum LX versibus elegis expressarum auctor, qui fuerit, vel quando vixerit, incertum est; etsi constat, eum jam a scriptoribus seculi XIV allegari. Apud Julium Cæsarem Scaligerum Lib. IV Poetices p. 728. *Accius* vocatur, & laudibus effertur in cœlum. Alii *Romulum* appellant, vel *Salonem* Parmensem, teste Gyraldo & Daumio; vide & Barthium III, 22 Adversar. ubi *Romalii* vel *Bernardi* venit nomine. Diversæ sunt tamen, licet itidem LX, quæ sub *Romuli* nomine ad Tibertinum sive Tiberinum filium a *Rimicio* [1] & aliis editæ sunt, prosa, non versu,

1 Varie hoc nomen scribitur, *Rimicius*, *Raimitius*, *Ramutius*, *Rainutius*, *Ranutius*, *Ranutinus*, *Remicius*, *Riminus*, *Rhinucinus*, sed ut Mich. Maittairium monuit Bernard. Moneta, non diversus est ab *Alemanno Rinuccino*, Florentino, qui præter Æsopi fabulas latine vertit Philostrati Apolloniam, Hippocratis Epistolas, nec non Luciani nonnulla & Plutarchi. „Fabricius tamen in Bibl. med. & inf. Latin. vol. VI Hamburgi 1746 edito p. 262. Rimicium, scriptorem Italum sec. XV, qui vitam Æsopi ejusque fabulas e Græco in latinum transtulit, Parmæ 1487 editas, sæpiusque dein in variis linguis recusas, distinguit ab illo Alem. Rinuccino, Florentino, Beroaldi senioris coævo. Sed Rimicius fabulas Æsopi suas circa a. C. 1452 expressit, notante eodem Fabricio in

ſcriptæ ante annos circiter quingentos. Ex his fabulæ XLV reſpondent totidem fabulis apud Anonymum. Ceteræ XV, extravagantes a Rimicio vocantur, quod nempe Anonymus illas non habet: habet tamen pleraſque Phædrus, cujus etiam verba ipſa ſæpe ſervavit iſte *Romulus*, perinde ut alter *Auctor antiquus*, cujus fabulas LXVII ex Phædro fere deſumtas & ſoluta oratione expreſſas e Codice MS. Iſ. Voſſii, quem ab avunculo ſuo Jacobo Gronovio utendum acceperat, primus edidit notaſque ſuas & Romuli fabulas addidit Jo. Fridericus *Nilant*, Lugd. Bat. 1709, 8. [1] Etiam Anonymus ille,

Bibl. lat. T. II, ed. Erneſt. p. 29, inſcripſitque Antonio tituli S. Chryſogoni presbytero Cardinali an. 1459 defuncto. Prodiere Mediolani 1480, 4. & ſæpius deinde cum Anonymo illo alibi.

1 Ejuſcemodi fabulas CC proſa latina ſcriptas edidit quoque Laur. *Abſtemius* Maceratenſis qui prius hecatomythium an. 1498, alterum an. 1505, primum edidit. Prodiere dein Abſtemii fabulæ Tiguri 8, ſine anno, cum Æſopi fabulis, quas Guilielmus *Goudanus*, Canonicus S. Auguſtini ait ex oratione ligata ſe in ſolutam vertiſſe, nec non fabulis Aniani, quas Hadr. Barlandus & idem Guilielmus proſaicas fecit, fabuliſque Æſopi quas verterant Laur. Valla & Rimicius, nec non excerptis e variis ſcriptoribus. [Guiliel. Hermannus *Goudanus*, Eraſmi amiciſſimus, fabulas Æſopi in proſam verſas ipſe jam ediderat, antequam eas repeteret Mart. *Dorpius* ineunte ſec. XVI Lovanii. Poſt hos Fabularum liber, auctoribus Guil. *Goudano*, Hadr. Barlando, Eraſmo Roter. Aulo Gellio, Angelo Politiano, Petro Crinito, Jo. Ant. Campano, Plinio Sec. Novocomenſi, Nic. Gerbelio, Phorcenſi cum Æſopi Vita ex Max. Planude excerpta & aucta (ac præloquiis Mart. *Dorpii* & Guilielm. *Goudani*, & P. Egidii Antverpiani Endecaſyllabo ad Lectores) prodiere Argentorati ex ædibus

cujus fabulas carmine ſcriptas poſt Neveletum denuo exhibemus ſed emendatiores, paſſim Phædri veſtigiis ita inſiſtit, ut, pronuntiante Neveleto, *Phædri ſimia* dici mereatur. Immo & Gudianas 1, 2, 4, 5 expreſſit fab. 19, 28, 18, 53. Ceterum ſcriptor eſt loquentior, argutiarum appetens, ſæpe ineptus, quandoque ingenioſus.

II. Nonnullas ex *Anonymi veteris* fabulis Nic. *Rigaltius* e MS. Victoriano inſeruit notis ad Phædrum an. 1599 ad lib. I, pag. 2. Scriptorem vocat fabularum ante centum annos *Venetiis* excuſum, & in Bibliotheca Pauli Petavii & in Victoriana Pariſienſi MStum. Editus eſt plus vice ſimplici, non tantum Venetiis, ſed Ulmæ quoque in Germania & in Galliis. Iſaacus Nic. *Neveletus*, Mythologiæ Æſopicæ editor, etiam de Anonymi fabulis, quas cum Cod. MS. Pal. duabuſque edd. altera ſine loci notatione an. 1494, altera *Ulmenſi* abſque anni nota, utraque etiam Avianum habente contulit, bene meritus eſt. In Ulmenſi quidem editione diſtinguuntur fabulæ hujus Anonymi in libros *duos* (non

Matth. Schureri menſe Decembri MDXVI, quam editionem G. C. *Crollius* poſſidet.] *Abſtemii* fabulæ repetitæ ſunt cum fabulis Æſopi, *Antverpiae* ex off. *Plantin.* 1560, & ab Iſ. Nic. *Neveleto* in Mythol. Æſop. Francof. an. 1610, cum ceteris Mythologis edita et *ibid.* 1660 recuſa. Prius Abſtemii hecatomythium at decurtatum cum Rimicii, Guilielmi Hermanni, Hadr. Barlandi fabb. edidit Rob. Stephanus. Pariſ. 1529. Ejuſdem Abſtemii Annotationes quaſdam in varia auctorum loca Jan. Gruterus inſeruit Theſ. critico Francof. 1602, 8.

tres, ut legas in Menagianis p. 72.) ita ut liber II incipiat a fabula 21. Sed Neveletus illam diſtinctionem, cujus in Palatino MS. & altera editione nullum veſtigium repererat, recte prætermiſit, conjiciens illam confictam eſſe a *Rinuccio* (aliis *Rimicio*) quodam, qui has fabulas oratione latina convertit. In Codice Regis Galliarum n. 893 inſcribuntur hæ fabulæ *liber Hiſopi* (Æſopi) teſte Labbeo Bibl. nova MSS. p. 66. Poſt illam vero editionem fabularum Anonymi vet. ex recenſióne Neveleti factam primum an. 1610 & recuſam an. 1660, nulla nobis innotuit. Quare eas Phædro & Aviano, ut una in notitiam rediret, hoc magis jungendas duximus, quod a recentioribus nonnullæ ejus deſumtæ ſunt, quas imitatione exprimerent. Petrus *Burmannus* quidem fabulas XLIII *Ovis & Lupus*, & LVI *Cicada & Formica* ſenariis a ſe expreſſas dedit in Appendice fabularum Phædri. Gabr. *Brotierius*, qui Phædro ſuo noviſſime edito LX Fontanii, celeberrimi fabularum ſcriptoris Galli, fabulas parallelas Phædriis, aliiſque veterum ſcriptorum ſubjunxit, etiam illas duas Anonymi Burmanniano ore loquentis, pro ipſis verbis Anonymi reddidit, quod mireris. Clariſſimus fabularum latinarum artifex Franc. Joſ. *Des-Billons* etiam quibusdam Anonymi ut 22, 53, 55, ſuas reſpondentes felicius expreſſit ſenariis, in fabb. ſuarum Æſopiarum ed. auctiore Mannhemii typis Acad. an. 1768, exſcripta.

10242404

PHÆDRI

AUGUSTI LIBERTI

FABULARUM

ÆSOPIARUM

LIBRI QUINQUE.

10242404

PHÆDRI

AUGUSTI LIBERTI

FABULARUM

ÆSOPIARUM

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

ÆSOPUS auctor quam materiam repperit,
Hanc ego polivi verſibus ſenariis.
Duplex libelli dos eſt: quod riſum movet,
Et quod prudenti vitam conſilio monet.
Calumniari ſi quis autem voluerit,
Quod arbores loquantur, non tantum feræ;
Fictis jocari nos meminerit fabulis.

FABULA I.

Lupus & Agnus.

AD rivum eundem lupus & agnus venerant,
Siti compulſi: ſuperior ſtabat lupus,
Longeque inferior agnus: tunc fauce improba
Latro incitatus, jurgii cauſam intulit.
Cur, inquit, turbulentam mihi feciſti aquam
Inſtans bibenti? Laniger contra timens,
Quî poſſum quæſo facere, quod quereris, Lupe?
A te decurrit ad meos hauſtus liquor.
Repulſus ille veritatis viribus,
Ante hos ſex menſes male, ait, dixiſti mihi.
Reſpondit agnus: Equidem natus non eram.
Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat injuſta nece.
HAEC propter illos ſcripta eſt homines fabula,
Qui fictis cauſis innocentes opprimunt.

FABULA II.

Ranæ regem petentes.

ATHENAE cum florerent æquis legibus,
Procax libertas civitatem miſcuit,
Frenumque ſolvit priſtinum licentia.
Hinc conſpiratis factionum partibus,

Arcem tyrannus occupat Piſiſtratus;
Cum triſtem ſervitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille; ſed quoniam grave
Omne inſuëtis onus, & cœpiſſent queri:
Æſopus talem tum fabellam rettulit.
Ranæ vagantes liberis paludibus,
Clamore magno regem petiere a Jove,
Qui diſſolutos mores vi compeſceret.
Pater Deorum riſit, atque illis dedit
Parvum Tigillum, miſſum quod ſubito vadi
Motu ſonoque terruit pavidum genus.
Merſæ laterent cum limo diutius,
Forte una tacite profert e ſtagno caput,
Et explorato rege cunctas evocat.
Illæ, timore poſito, certatim adnatant,
Lignumque ſupra turba petulans inſilit:
Quod cum inquinaſſent omni contumelia,
Alium rogantes regem miſere ad Jovem;
Inutilis quoniam eſſet qui fuerat datus.
Tum miſit illis Hydrum, qui dente aſpero
Corripere cœpit ſingulas: fruſtra necem
Fugitant inertes: vocem præcludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem,
Adflictis ut ſuccurrat. Tunc contra Deus:
Quia noluiſtis veſtrum ferre, inquit, bonum;
Malum perferte. Vos quoque, o cives, ait,
Hoc ſuſtinete, majus ne veniat malum.

FABULA III.

Graculus ſuperbus & Pavo.

NE gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potius habitu vitam degere,
Æſopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani Graculus ſuperbia,
Pennas, pavoni quæ deciderant, ſuſtulit,
Seque exornavit: dein contemnens ſuos
Formoſo ſe Pavonum immiſcuit gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque roſtris. Male mulcatus Graculus
Redire mœrens cœpit ad proprium genus:
A quo repulſus triſtem ſuſtinuit notam.
Tum quidam ex illis, quos prius deſpexerat:
Contentus noſtris ſi fuiſſes ſedibus,
Et, quod natura dederat, voluiſſes pati,
Nec illam expertus eſſes contumeliam,
Nec hanc repulſam tua ſentiret calamitas.

FABULA IV.

Canis per fluvium carnem ferens.

AMITTIT merito proprium, qui alienum appetit.
Canis per flumen carnem dum ferret natans,
Lympharum in ſpeculo vidit ſimulacrum ſuum:

Aliamque prædam ab alio deferri putans,
Eriperi voluit: verum decepta aviditas,
Et, quem tenebat ore, dimisit cibum,
Nec, quem petebat, adeo potuit attingere.

FABULA V.

Vacca & Capella, Ovis & Leo.

NUNQUAM est fidelis cum potente societas:
Testatur hæc fabella propositum meum.
Vacca & Capella, & patiens ovis injuriæ,
Socii fuere cum Leone. In saltibus
Hi cum cepissent cervum vasti corporis,
Sic est locutus, partibus factis, Leo:
Ego primam tollo, nominor quoniam Leo;
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;
Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia;
Malo adficietur, si quis quartam tetigerit.
Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

FABULA VI.

Ranæ ad Solem.

VICINI furis celebres vidit nuptias
Æsopus, & continuo narrare incipit:
Uxorem quondam Sol cum vellet ducere,
Clamorem ranæ sustulere ad sidera.

Convicio permotus quærit Jupiter
Cauſam querelæ: quædam tum ſtagni incola,
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,
Cogitque miſeras arida ſede emori.
Quidnam futurum eſt, ſi crearit liberos?

FABULA VII.

Vulpis ad Perſonam tragicam.

PERSONAM tragicam forte vulpis viderat:
O quanta ſpecies, inquit, cerebrum non habet!
Hoc illis dictum eſt, quibus honorem & gloriam
Fortuna tribuit, ſenſum communem abſtulit.

FABULA VIII.

Lupus & Gruis.

QUI pretium meriti ab improbis deſiderat,
Bis peccat: primum, quoniam indignos adjuvat;
Impune abire deinde quia jam non poteſt.
Os devoratum fauce cum hæreret lupi,
Magno dolore victus, cœpit ſingulos
Illicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem perſuaſa eſt jurejurando Gruis,
Gulæque credens colli longitudinem,
Periculoſam fecit medicinam Lupo.

Pro quo cum pactum flagitaret præmium :
Ingrata es, inquit, ore quæ noſtro caput
Incolume abſtuleris, & mercedem poſtules.

FABULA IX.

Paſſer & Lepus.

SIBI non cavere, & aliis conſilium dare,
Stultum eſſe, paucis oſtendamus verſibus.
Oppreſſum ab Aquila, fletus edentem graves,
Leporem objurgabat Paſſer: Ubi pernicitas
Nota, inquit, illa eſt? quid ita ceſſarunt pedes?
Dum loquitur, ipſum Accipiter nec opinum rapit,
Queſtuque vano clamitantem interficit.
Lepus ſemianimus mortis in ſolatio:
Qui modo ſecurus noſtra irridebas mala,
Simili querela fata deploras tua.

FABULA X.

Lupus & Vulpis judice Simio.

QUICUNQUE turpi fraude ſemel innotuit,
Etiamſi verum dicit, amittit fidem.
Hoc atteſtatur brevis Æſopi fabula.
Lupus arguebat vulpem furti crimine:
Negabat illa, ſe eſſe culpæ proximam:

Tunc judex inter illos ſedit Simius.
Uterque cauſam cum peroraſſent ſuam,
Dixiſſe ſertur Simius ſententiam:
Tu non videris perdidiſſe quod petis;
Te credo ſurripuiſſe quod pulchre negas.

FABULA XI.

Aſinus & Leo venantes.

VIRTUTIS expers, verbis jactans gloriam,
Ignotos fallit, notis eſt deriſui.
Venari Aſello comite cum vellet Leo,
Contexit illum frutice, & admonuit ſimul,
Ut inſuëta voce terreret feras,
Fugientes ipſe exciperet. Hic Auritulus
Clamorem ſubito totis tollit viribus,
Novoque turbat beſtias miraculo.
Quæ dum paventes exitus notos petunt,
Leonis adfliguntur horrendo impetu.
Qui poſtquam cæde feſſus eſt, Aſinum evocat,
Jubetque vocem premere. Tunc ille inſolens,
Qualis videtur opera tibi vocis meæ?
Inſignis, inquit, ſic, ut niſi noſſem tuum
Animum genuſque, ſimili fugiſſem metu.

FABULA XII.

Cervus ad fontem.

LAUDATIS utiliora quæ contemſeris
Sæpe inveniri, hæc exſerit narratio.
Ad fontem Cervus, cum bibiſſet, reſtitit,
Et in liquore vidit effigiem ſuam.
Ibi dum ramoſa mirans laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat;
Venantum ſubito vocibus conterritus,
Per campum fugere cœpit, & curſu levi
Canes eluſit. Silva tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus,
Lacerari cœpit morſibus ſævis canum.
Tunc moriens vocem hanc edidiſſe dicitur:
O me infelicem! qui nunc demum intelligo,
Utilia mihi quam fuerint, quæ deſpexeram,
Et quæ laudaram, quantum luctus habuerint.

FABULA XIII.

Vulpis & Corvus.

QUI ſe laudari gaudet verbis ſubdolis,
Fere dat pœnas turpi pœnitentia.
Cum de feneſtra Corvus raptum caſeum
Comeſſe vellet, celſa reſidens arbore;

Hunc vidit Vulpis, deinde ſic cœpit loqui:
O qui tuarum, corve, pennarum eſt nitor!
Quantum decoris corpore & vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille ſtultus, dum vult vocem oſtendere,
Emiſit ore caſeum, quem celeriter
Doloſa Vulpis avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corvi deceptus ſtupor.

* * *

Hac re probatur ingenium: quantum valet
Virtute, ita ſemper prævalet ſapientia.

FABULA XIV.

Ex Sutore Medicus.

Malus cum Sutor, inopia deperditus,
Medicinam ignoto facere cœpiſſet loco,
Et venditaret falſo antidotum nomine,
Verboſis adquiſivit ſibi famam ſtrophis.
Hic cum jaceret morbo confectus gravi
Rex urbis, ejus experiendi gratia
Scyphum popoſcit: fuſa dein ſimulans aqua
Antidoto miſcere illius ſe toxicum,
Combibere juſſit ipſum, poſito præmio.
Timore mortis ille tum confeſſus eſt,
Non artis ulla medicæ ſe prudentia,
Verum ſtupore vulgi factum nobilem.
Rex advocata concione hæc edidit:
Quantæ putatis eſſe vos dementiæ,

Qui capita veſtra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiſit pedes?
Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
Quorum ſtultitia quæſtui imprudentiæ eſt.

FABULA XV.

Aſinus ad ſenem Paſtorem.

In principatu commutando civium
Nil præter domini nomen mutant pauperes.
Id eſſe verum, parva hæc fabella indicat.
Aſellum in prato timidus paſcebat Senex.
Is, hoſtium clamore ſubito territus,
Suadebat Aſino fugere, ne poſſent capi.
At ille lentus: Quæſo, num binas mihi
Clitellas impoſiturum victorem putas?
Senex negavit. Ergo quid refert mea,
Cui ſerviam? clitellas dum portem meas.

FABULA XVI.

Cervus & Ovis.

Fraudator homines cum aditat ſponſore improbo,
Non rem expedire, ſed mala videre expedit.
Ovem rogabat Cervus modium tritici,
Lupo ſponſore: at illa præmetuens dolum:

Rapere atque abire ſemper adſuevit lupus;
Tu de conſpectu fugere veloci impetu:
Ubi vos requiram, cum dies advenerit?

FABULA XVII.

Ovis, Canis & Lupus.

SOLENT mendaces luere pœnas malefici.
Calumniator ab ove cum peteret Canis,
Quem commendaſſe panem ſe contenderet;
Lupus citatus teſtis, non unum modo
Debere dixit, verum affirmavit decem.
Ovis, damnata falſo teſtimonio,
Quod non debebat ſolvit: poſt paucos dies
Bidens jacentem in fovea proſpexit Lupum:
Hæc, inquit, merces fraudis a Superis datur.

FABULA XVIII.

Mulier parturiens.

NEMO libenter recolit, qui læſit, locum.
Inſtante partu, mulier, actis menſibus,
Humi jacebat, flebiles gemitus ciens.
Vir eſt hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus naturæ melius quo deponeret.
Minime, inquit, illo poſſe confido loco
Malum finiri, quo conceptum eſt initio.

FABULA XIX.

Canis parturiens.

HABENT insidias hominis blanditiæ mali:
Quas ut vitemus, versus subjecti monent.
Canis parturiens cum rogasset alteram,
Ut fetum in ejus tugurio deponeret,
Facile impetravit: dein reposcenti locum
Preces admovit, tempus exorans breve,
Dum firmiores catulos posset ducere.
Hoc quoque consumto, flagitare validius
Cubile cœpit. Si mihi & turbæ meæ
Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

FABULA XX.

Canes famelici.

STULTUM consilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.
Corium depressum in fluvio viderunt Canes:
Id ut comesse extractum possent facilius,
Aquam cœpere ebibere: sed rupti prius
Periere, quam, quod petierant, contingerent.

FABULA XXI.

Leo ſenex, Aper, Taurus & Aſinus.

QUICUNQUE amiſit dignitatem priſtinam,
Ignavis etiam jocus eſt in caſu gravi.
Defectus annis & deſertus viribus
Leo cum jaceret, ſpiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
Et vindicavit ictu veterem injuriam:
Infeſtis Taurus mox confodit cornibus
Hoſtile corpus. Aſinus ut vidit ferum
Impune lædi, calcibus frontem excutit.
At ille exſpirans: Fortes indigne tuli
Mihi inſultare: te, naturæ dedecus,
Quod ferre certe cogor, bis videor mori.

FABULA XXII.

Muſtela & Homo.

MUSTELA ab homine prenſa, cum inſtantem necem
Effugere vellet, Parce quæſo, inquit, mihi,
Quæ tibi moleſtis muribus purgo domum.
Reſpondit ille: Faceres ſi cauſa mea,
Gratum eſſet, & dediſſem veniam ſupplici:
Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quas ſunt roſuri, ſimul & ipſos devores,

Noli imputare vanum beneficium mihi.
Atque ita locutus improbam leto dedit.
Hoc in ſe dictum debent illi agnoſcere,
Quorum privata ſervit utilitas ſibi,
Et meritum inane jactat imprudentibus.

FABULA XXIII.

Canis fidelis.

REPENTE liberalis, ſtultis gratus eſt,
Verum peritis irritos tendit dolos.
Nocturnus cum fur panem miſiſſet Cani,
Objecto tentans an cibo poſſit capi:
Heus, inquit, linguam vis meam præcludere,
Ne latrem pro re domini: multum falleris.
Namque iſta ſubita me jubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

FABULA XXIV.

Rana rupta & Bos.

INOPS potentem dum vult imitari, perit.
In prato quondam Rana conſpexit Bovem,
Et, tacta invidia tantæ magnitudinis,
Rugoſam inflavit pellem: tum natos ſuos
Interrogavit, an Bove eſſet latior.
Illi negarunt. Rurſus intendit cutem

Majore niſu ; & ſimili quæſivit modo,
Quis major eſſet. Illi dixerunt Bovem.
Noviſſime indignata, dum vult validius
Inflare ſeſe, rupto jacuit corpore.

FABULA XXV.

Canis & Crocodilus.

CONSILIA qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam, & deridentur turpiter.
Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A Crocodilis ne rapiantur, traditum eſt.
Igitur cum currens bibere cœpiſſet Canis,
Sic Crocodilus : Quam libet lambe otio,
Noli, vereri. At ille : Facerem mehercule,
Niſi eſſe ſcirem carnis te cupidum meæ.

FABULA XXVI.

Vulpis & Ciconia.

NULLI nocendum ; ſi quis vero læſerit,
Multandum ſimili jure fabella admonet.
Ad cœnam Vulpis dicitur Ciconiam
Prior invitaſſe, & illi liquidam in patena
Poſuiſſe ſorbitionem, quam nullo modo
Guſtare eſuriens potuerit Ciconia.

Quæ Vulpem cum revocaſſet, intrito cibo
Plenam lagenam poſuit: huic roſtrum inſerens
Satiatur ipſa, & torquet convivam fame.
Quæ cum lagenæ collum fruſtra lamberet,
Peregrinam ſic locutam Volucrem accepimus:
Sua quiſque exempla debet æquo animo pati.

FABULA XXVII.

Canis & Theſaurus & Vulturius.

[HAEC res avaris eſſe conveniens poteſt,
Et qui humiles nati, dici locupletes ſtudent.]
Humana effodiens oſſa, theſaurum Canis
Invenit; at violarat quia Manes Deos,
Injecta eſt illi divitiarum cupiditas,
Pœnas ut ſanctæ relligioni penderet.
Itaque aurum dum cuſtodit, oblitus cibi
Fame eſt conſumtus; quem ſtans Vulturius ſuper
Fertur locutus: O Canis, merito jaces,
Qui concupiſti ſubito regales opes,
Trivio conceptus, & educatus ſtercore.

FABULA XXVIII.

Vulpis & Aquila.

QUAMVIS ſublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet ſolertiæ.
Vulpinos catulos Aquila quondam ſuſtulit,
Nidoque impoſuit, pulli eſcam ut carperent.
Hanc perſecuta mater orare incipit,
Ne tantum miſeræ luctum importaret ſibi.
Contemſit illa, tuta quippe ipſo loco.
Ab ara Vulpis rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hoſti dolorem damno miſcens ſanguinis.
Aquila ut periclo mortis eriperet ſuos,
Incolumes natos ſupplex Vulpi reddidit.

FABULA XXIX.

Aſinus irridens Aprum.

PLERUMQUE ſtulti riſum dum captant levem,
Gravi deſtringunt alios contumelia,
Et ſibi nocivum concitant periculum.
Aſellus apro cum fuiſſet obvius,
Salve, inquit, Frater. Ille indignans repudiat
Officium, & quærit, cur ſic mentiri velit?
Aſinus demiſſo pene: Similem ſi negas
Tibi me eſſe, certe ſimile eſt hoc roſtro tuo.

Aper cum vellet facere generoſum impetum,
Repreſſit iram: &, Facilis vindicta eſt mihi;
Sed inquinari nolo ignavo ſanguine.

FABULA XXX.

Ranæ metuentes Taurorum prœlia.

HUMILES laborant, ubi Potentes diſſident.
Rana, in palude pugnam Taurorum intuens,
Heu, quanta nobis inſtat pernicies! ait.
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
De principatu cum decertarent gregis,
Longeque ab illis degerent vitam boves:
Eſt ſtatio ſepar, ait, ac diverſum genus;
Sed pulſus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in ſecreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede:
Caput ita ad noſtrum furor illorum pertinet.

FABULA XXXI.

Miluus & Columba.

QUI ſe committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.
Columbæ ſæpe cum fugiſſent Miluum,
Et celeritate pennæ vitaſſent necem,
Conſilium raptor vertit ad fallaciam,

Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare ſollicitum potius ævum ducitis,
Quam regem me creatis icto fœdere,
Qui vos ab omni tutas præſtem injuria?
Illæ credentes, tradunt ſeſe Miluo;
Qui regnum adeptus, cœpit veſci ſingulas,
Et exercere imperium ſævis unguibus:
De reliquis tunc una, Merito plectimur.

10242404

PHÆDRI

AUGUSTI LIBERTI

FABULARUM

ÆSOPIARUM

LIBER SECUNDUS.

AUCTOR.

EXEMPLIS continetur Æſopi genus,
Nec aliud quidquam per fabellas quæritur,
Quam corrigatur error ut mortalium,
Acuatque ſeſe diligens induſtria,
Quicunque fuerit ergo narrandi locus,
Dum capiat aurem, & ſervet propoſitum ſuum,
Re commendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem ſervabo ſenis:
Sed ſi libuerit aliquid interponere,
Dictorum ſenſus ut delectet varietas,
Bonas in partes, Lector, accipias velim.
Ita, ſi rependet illi brevitas gratiam:
Cujus verboſa ne ſit commendatio,

Attende, cur negare cupidis debeas;
Modeſtis etiam offerre, quod non petierint.

FABULA I.

Juvencus, Leo & Prædator.

SUPER Juvencum ſtabat dejectum Leo.
Prædator intervenit, partem poſtulans.
Darem, inquit, niſi ſoleres per te ſumere:
Et improbum rejecit. Forte innoxius
Viator eſt deductus in eundem locum,
Feroque viſo rettulit retro pedem.
Cui placidus ille: Non eſt quod timeas, ait,
Et, quæ debetur pars tuæ modeſtiæ,
Audacter tolle. Tunc diviſo tergore
Silvas petivit, homini ut acceſſum daret.
EXEMPLUM egregium prorſus & laudabile:
Verum eſt aviditas dives, & pauper pudor.

FABULA II.

Anus diligens virum ætatis mediæ, item Puella.

A FEMINIS utcunque ſpoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis diſcimus.
Ætatis mediæ quendam mulier non rudis
Tenebat, annos celans elegantia:
Animoſque ejuſdem pulchra juvenis ceperat.

Ambæ, videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere cœpere invicem.
Cum ſe putaret fingi cura mulierum,
Calvus repente factus eſt: nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

FABULA III.

Homo & Canis.

LACERATUS quidam morſu vehementis canis,
Tinctum cruore panem miſit malefico,
Audierat eſſe quod remedium vulneris.
Tunc ſic Æſopus: Noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
Cum ſcierint eſſe tale culpæ præmium.
SUCCESSUS improborum plures allicit.

FABULA IV.

Aquila, Felis, & Aper.

AQUILA in ſublimi quercu nidum fecerat:
Feles cavernam nacta in media pepererat:
Sus nemoricultrix fetum ad imam poſuerat.
Tum fortuitum Feles contubernium
Fraude & ſceleſta ſic evertit malitia.
Ad nidum ſcandit Volucris: Pernicies, ait,
Tibi paratur, forſan & miſeræ mihi:

Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum insidiosum, quercum vult evertere,
Ut nostram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore offuso & perturbatis sensibus,
Derepit ad cubile setosæ suis;
Magno, inquit, in periclo sunt nati tui.
Nam simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquila est parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore postquam complevit locum,
Dolosa tuto condidit sese cavo:
Inde evagata noctu suspenso pede,
Ubi esca se replevit & prolem suam,
Pavorem simulans prospicit toto die.
Ruinam metuens Aquila ramis desidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inedia sunt consumti cum suis,
Felique & catulis largam præbuerunt dapem.
QUANTUM homo bilinguis sæpe concinnet mali,
Documentum habere stulta credulitas potest.

FABULA V.

Cæsar ad Atriensem.

EST ardelionum quædam Romæ natio,
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta, & aliis odiosissima:
Hanc emendare, si tamen possum, volo

Vera fabella: pretium eſt operæ attendere.
Cæſar Tiberius cum, petens Neapolim,
In Miſenenſem villam veniſſet ſuam,
Quæ monte ſummo poſita Luculli manu,
Proſpectat Siculum & proſpicit Tuſcum mare;
Ex alticinctis unus atrienſibus,
Cui tunica ab humeris linteo Peluſio
Erat deſtricta, cirris dependentibus,
Perambulante læta Domino viridia,
Alveolo cœpit ligneo conſpergere
Humum æſtuantem, come officium jactitans:
Sed deridetur. Inde notis flexibus
Præcurrit alium in xyſtum, ſedans pulverem.
Agnoſcit hominem Cæſar, remque intelligit
Ita, ut putavit is eſſe neſcio quid boni.
Heus, inquit Dominus; ille enimvero adſilit,
Donationis alacer certæ gaudio.
Tum ſic jocata eſt tanti majeſtas Ducis:
Non multum egiſti, & opera nequidquam perit;
Multo majoris alapæ mecum veneunt.

FABULA VI.

Aquila, Cornix, & Teſtudo.

CONTRA potentes nemo eſt munitus ſatis;
Si vero acceſſit conſiliator maleficus,
Vis & nequitia quidquid oppugnant, ruit.
Aquila in ſublime ſuſtulit Teſtudinem:
Quæ cum abdidiſſet cornea corpus domo,
Nec ullo pacto lædi poſſet condita;
Venit per auras Cornix, & propter volans:
Opimam ſane prædam rapuiſti unguibus,
Sed, niſi monſtraro, quid ſit faciendum tibi,
Gravi nequidquam te laſſabit pondere.
Promiſſa parte, ſuadet, ut ſcopulum ſuper
Altis ab aſtris duram illidat corticem,
Qua comminuta facile veſcatur cibo.
Inducta verbis Aquila, monitis paruit,
Simul & magiſtræ large diviſit dapem.
Sic tuta quæ naturæ fuerat munere,
Impar duabus occidit triſti nece.

FABULA VII.

Muli & Latrones.

MULI gravati ſarcinis ibant duo:
Unus ferebat fiſcos cum pecunia;
Alter tumentes multo ſaccos hordeo.
Ille onere dives, celſa cervice eminens,
Clarumque collo jactans tintinnabulum;
Comes quieto ſequitur & placido gradu.
Subito latrones ex inſidiis advolant,
Interque cædem ferro mulum lancinant,
Diripiunt numos, negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur caſus cum fleret ſuos,
Equidem, inquit alter, me contemtum gaudeo.
Nam nihil amiſi, nec ſum læſus vulnere.
Hoc argumento tuta eſt hominum tenuitas:
Magnæ periclo ſunt opes obnoxiæ.

FABULA VIII.

Cervus & Boves.

CERVUS nemoroſis excitatus latibulis,
Ut venatorum fugeret inſtantem necem,
Cæco timore proximam villam petit,
Et opportuno ſe bubili condidit.
Hic Bos latenti: Quidnam voluiſti tibi,

Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto ſpiritum commiſeris?
At ille ſupplex, Vos modo, inquit, parcite;
Occaſione rurſus erumpam data.
Spatium diei noctis excipiunt vices.
Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt.
Eunt ſubinde & redeunt omnes ruſtici,
Nemo animadvertit: tranſit etiam villicus,
Nec ille quidquam ſentit. Tum gaudens ferus
Bubus quietis agere cœpit gratias,
Hoſpitium adverſo quod præſtiterint tempore.
Reſpondit unus: Salvum te cupimus quidem;
Sed ille, qui oculos centum habet, ſi venerit,
Magno in periclo vita vertetur tua.
Hæc inter ipſe dominus a cœna redit;
Et quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit ad præſepe: Cur frondis parum eſt?
Stramenta deſunt? Tollere hæc aranea
Quantum eſt laboris? Dum ſcrutatur ſingula,
Cervi quoque alta conſpicatur cornua.
Quem convocata jubet occidi familia,
Prædamque tollit. HAEC ſignificat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus ſuis.

EPILOGUS.

ÆSOPI ingenio ſtatuam poſuere Attici,
Servumque collocarunt æterna in baſi,
Patere honoris ſcirent ut cunctis viam,
Nec generi tribui, ſed virtuti gloriam.
Quoniam occuparat alter, ne primus forem,
Ne ſolus eſſet, ſtudui; quod ſuperfuit.
Neque hæc invidia, verum eſt æmulatio.
Quod ſi labori faverit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Græciæ.
Si livor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conſcientiam.
Si noſtrum ſtudium ad aures pervenit tuas,
Et arte fictas animus ſentit fabulas,
Omnem querelam ſubmovet felicitas.
Sin autem ab illis doctus occiderit labor,
Siniſtra quos in lucem natura extulit,
Ne quidquam poſſint, niſi meliores carpere;
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat ſui.

10242404

PHÆDRI

AUGUSTI LIBERTI

FABULARUM

ÆSOPIARUM

LIBER TERTIUS.

PROLOGUS AD EUTYCHUM.

PHAEDRI libellos legere ſi deſideras,
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
Ut liber animus ſentiat vim carminis.
Verum, inquis, tanti non eſt ingenium tuum,
Momentum ut horæ pereat officiis meis.
Non ergo cauſa eſt manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non convenit.
Fortaſſe dices: Aliquæ venient feriæ,
Quæ me ſoluto pectore ad ſtudium vocent.
Legeſne, quæſo, potius viles nænias,
Impendas curam quam rei domeſticæ,

Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Ut adſuëtam fortius præſtes vicem?
Mutandum tibi propoſitum eſt & vitæ genus,
Intrare ſi Muſarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixa eſt jugo,
In quo tonanti ſancta Mnemoſyne Jovi
Fecunda novies artium peperit chorum;
Quamvis in ipſa natus pæne ſim ſchola,
Curamque habendi penitus corde eraſerim,
Nec laudis invidia in hanc vitam incubuerim,
Faſtidioſe tamen in cœtum recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quærit omni vigilia,
Docto labori dulce præponens lucrum?
Sed jam, quodcunque fuerit (ut dixit Sinon,
Ad Regem cum Dardaniæ perductus foret)
Librum exarabo tertium Æſopi ſtilo,
Honori & meritis dedicans illum tuis.
Quem ſi leges, lætabor; ſin autem minus,
Habebunt certe, quo ſe oblectent poſteri.
NUNC, fabularum cur ſit inventum genus,
Brevi docebo. Servitus obnoxia,
Quia, quæ volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamque fictis elufit jocis.
Ego porro illius ſemitam feci viam,
Et cogitavi plura, quam reliquerat,
In calamitatem deligens quædam meam.
Quod ſi accuſator alius Sejano foret,

Si teſtis alius, judex alius denique,
Dignum faterer eſſe me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.
Suſpicione ſi quis errabit ſua,
Et rapiet ad ſe, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conſcientiam.
Huic excuſatum me velim nihilominus:
Neque enim notare ſingulos mens eſt mihi,
Verum ipſam vitam & mores hominum oſtendere.
Rem me profeſſum dicet fors aliquis gravem.
Si Phryx Æſopus potuit, ſi Anacharſis Scytha
Æternam famam condere ingenio ſuo:
Ego, literatæ qui ſum propior Græciæ,
Cur ſomno inerti deſeram patriæ decus?
Threïſſa cum gens numeret auctores ſuos,
Linoque Apollo ſit parens, Muſa Orpheo,
Qui ſaxa cantu movit, & domuit feras,
Hebrique tenuit impetus dulci mora.
Ergo hinc abeſto, livor, ne fruſtra gemas,
Quoniam ſolemnis mihi debetur gloria.
INDUXI te ad legendum: ſincerum mihi
Candore noto reddas judicium peto.

10242404

FABULA I.

Anus ad Amphoram.

Anus jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc, Falerna a fæce e teſta nobili
Odorem quæ jucundum late ſpargeret.
Hunc poſtquam totis avida traxit naribus:
O ſuavis anima, quale in te dicam bonum
Antehac fuiſſe, tales cum ſint reliquiæ?
Hoc quo pertineat, dicet, qui me noverit.

FABULA II.

Panthera & Paſtores.

Solet a deſpectis par referri gratia.
Panthera imprudens olim in foveam decidit.
Videre agreſtes: alii fuſtes congerunt,
Alii onerant ſaxis: quidam contra miſeriti,
Perituræ quippe, quamvis nemo læderet,
Miſere panem, ut ſuſtineret ſpiritum.
Nox inſecuta eſt: abeunt ſecuri domum,
Quaſi inventuri mortuam poſtridie.
At illa, vires ut refecit languidas,
Veloci ſaltu fovea ſeſe liberat,
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpoſitis provolat,

Pecus trucidat, ipſos paſtores necat,
Et, cuncta vaſtans, ſævit irato impetu.
Tum ſibi timentes, qui feræ pepercerant,
Damnum haud recuſant, tantum pro vita rogant.
At illa: Memini, qui me ſaxo petierint,
Quis panem dederit: vos timere abſiſtite:
Illis revertor hoſtis, qui me læſerant.

FABULA III.

Æſopus & Ruſticus.

Usu peritus hariolo velocior
Vulgo eſſe fertur; cauſa ſed non dicitur:
Noteſcet quæ nunc primum fabella mea.
Habenti cuidam pecora pepererunt oves
Agnos humano capite. Monſtro exterritus,
Ad conſulendos currit mœrens hariolos.
Hic pertinere ad domini reſpondet caput,
Et avertendum victima periculum.
Ille autem affirmat, conjugem eſſe adulteram,
Et inſitivos ſignificari liberos:
Sed expiari poſſe majori hoſtia.
Quid multa? variis diſſident ſententiis,
Hominiſque curam cura majore aggravant.
Æſopus ibi ſtans, naris emunctæ ſenex,
Natura nunquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis oſtentum, Ruſtice,
Uxores, inquit, da tuis paſtoribus.

FABULA IV.

Simii Caput.

PENDERE ad lanium quidam vidit ſimium
Inter relictas merces atque obſonia:
Quæſivit, quidnam ſaperet? Tum Lanius jocans:
Quale, inquit, caput eſt, talis præſtatur ſapor.
RIDICULE hoc dictum mage, quam vere, exiſtimo.
Quando & formoſos ſæpe inveni peſſimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

FABULA V.

Æſopus & Petulans.

SUCCESSUS ad perniciem multos devocat.
Æſopo quidam petulans lapidem impegerat.
Tanto, inquit, melior. Aſſem deinde illi dedit,
Sic proſecutus: Plus non habeo mehercule,
Sed unde accipere poſſis, monſtrabo tibi.
Venit ecce dives & potens; huic ſimiliter
Impinge lapidem, & dignum accipies præmium.
Perſuaſus ille fecit, quod monitus fuit.
Sed ſpes fefellit impudentem audaciam:
Comprenſus namque pœnas perſolvit cruce.

FABULA VI.

Muſca & Mula.

MUSCA in temone ſedit, & mulam increpans,
Quam tarda es? inquit: non vis citius progredi?
Vide, dolone ne collum pungam tibi.
Reſpondit illa: Verbis non moveor tuis;
Sed iſtum timeo, ſella qui prima ſedens
Jugum flagello temperat lento meum,
Et ora frenis continet ſpumantibus.
Quapropter aufer frivolam inſolentiam:
Namque, ubi ſtritandum eſt, & ubi currendum, ſcio.
HAC derideri fabula merito poteſt,
Qui ſine virtute vanas exercet minas.

FABULA VII.

Canis & Lupus.

QUAM dulcis ſit libertas, breviter proloquar.
Cani perpaſto macie confectus Lupus
Occurrit forte: dein ſalutans, invicem
Ut reſtiterunt, Unde ſic, quæſo, nites?
Aut quo cibo feciſti tantum corporis?
Ego, qui ſum longe fortior, pereo fame.
Canis ſimpliciter: Eadem eſt conditio tibi,
Præſtare domino ſi par officium potes.

Quod? inquit ille. Cuſtos ut ſis liminis,
A furibus tuearis & noctu domum.
Ego vero ſum paratus: nunc patior nives
Imbreſque, in ſilvis aſperam vitam trahens.
Quanto eſt facilius mihi ſub tecto vivere,
Et otioſum largo ſatiari cibo?
Veni ergo mecum. Dum procedunt, aſpicit
Lupus a catena collum detritum canis.
Unde hoc, Amice? Nihil eſt. Dic, quæſo, tamen.
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quieſcam, & vigilem, nox cum venerit:
Crepuſculo ſolutus, qua viſum eſt, vagor.
Affertur ultro panis: de menſa ſua
Dat oſſa dominus: fruſta jactat familia,
Et, quod faſtidit quiſque, pulmentarium.
Sic ſine labore venter impletur meus.
Age, ſi quo abire eſt animus, eſt licentia?
Non plane eſt, inquit. Fruere, quæ laudas, Canis:
Regnare nolo, liber ut non ſim mihi.

FABULA VIII.

Frater & Soror.

PRAECEPTO monitus, ſæpe te conſidera,
Habebat quidam filiam turpiſſimam,
Idemque inſignem pulchra facie filium.
Hi ſpeculum, in cathedra matris ut poſitum fuit,
Pueriliter ludentes, forte inſpexerant.

Hic ſe formoſum jactat; illa iraſcitur,
Nec gloriantis ſuſtinet fratris jocos,
Accipiens, (quid enim?) cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem decurrit, læſura invicem,
Magnaque invidia criminatur filium,
Vir natus quod rem feminarum tetigerit.
Amplexus ille utrumque, & carpens oſcula,
Dulcemque in ambos caritatem partiens,
Quotidie, inquit, ſpeculo vos uti volo:
Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis;
Tu faciem ut iſtam moribus vincas bonis.

FABULA IX.

Socrates ad Amicos.

VULGARE amici nomen, ſed rara eſt fides.
Cum parvas ædes ſibi fundaſſet Socrates,
(Cujus non fugio mortem, ſi famam aſſequar,
Et cedo invidiæ, dum modo abſolvar cinis)
E populo ſic, neſcio quis, ut fieri ſolet:
Quæſo, tam anguſtam, talis vir, ponis domum?
Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam.

FABULA X.

Poeta de Credere & non Credere.

PERICULOSUM eſt credere, & non credere.
Utriuſque exemplum breviter exponam rei.
  Hippolytus obiit, quia novercæ creditum eſt:
Caſſandræ quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda eſt veritas multum, prius
Quam ſtulte prava judices ſententia.
Sed fabuloſa ne vetuſtate eam elevem,
Narrabo tibi, memoria quod factum eſt mea.
  Maritus quidam cum diligeret conjugem,
Togamque puram jam pararet filio,
Seductus in ſecretum a liberto ſuo,
Sperante heredem ſuffici ſe proximum.
Qui, cum de puero multa mentitus foret,
Et plura de flagitiis caſtæ mulieris,
Adjecit id, quod ſentiebat maxime
Doliturum amanti, ventitare adulterum,
Stuproque turpi pollui famam domus.
Incenſus ille falſo uxoris crimine,
Simulavit iter ad villam, clamque in oppido
Subſedit: deinde noctu ſubito januam
Intravit, recta cubiculum uxoris petens,
In quo dormire mater natum jufferat,
Ætatem adultam ſervans diligentius.
Dum quærunt lumen, dum concurſant familia,
Iræ furentis impetum non ſuſtinens,

Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput.
Ut ſentit tonſum, gladio pectus tranſigit,
Nihil reſpiciens, dum dolorem vindicet.
Lucerna allata, ſimul aſpexit filium,
Sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quæ nil ſomno ſenſerat,
Repræſentavit in ſe pœnam facinoris,
Et ferro incubuit, quod credulitas ſtrinxerat.
Accuſatores poſtularunt mulierem,
Romamque pertraxerunt ad Centumviros.
Maligna inſontem deprimit ſuſpicio,
Quod bona poſſideat: ſtant patroni, fortiter
Cauſam tuentes innocentis feminæ.
A Divo Auguſto tunc petiere judices,
Ut adjuvaret jurisjurandi fidem,
Quod ipſos error implicuiſſet criminis.
Qui poſtquam tenebras diſpulit calumniæ,
Certumque fontem veritatis repperit,
Luat, inquit, pœnas cauſa libertus mali.
Namque orbam nato ſimul & privatam viro
Miſerandam potius, quam damnandam exiſtimo.
Quod ſi delata perſcrutatus crimina
Paterfamilias eſſet, ſi mendacium
Subtiliter limaſſet, a radicibus
Non evertiſſet ſcelere funeſto domum.
Nil ſpernat auris, nec tamen credat ſtatim:
Quandoquidem & illi peccant, quos minime putes;
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.
Hoc admonere ſimplices etiam poteſt,
Opinione alterius ne quid ponderent.

Ambitio namque diffidens mortalium
Aut gratiæ ſubſcribit, aut odio ſuo.
Erit ille notus, quem per te cognoveris.
Hæc exſecutus ſum propterea pluribus,
Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.

FABULA XI.

Eunuchus ad improbum.

EUNUCHUS litigabat cum quodam improbo,
Qui, ſuper obſcœna dicta & petulans jurgium,
Damnum inſectatus eſt amiſſi corporis.
En, ait, hoc unum eſt, cur laborem validius,
Integritatis teſtes quia deſunt mihi.
Sed quid fortunæ, Stulte, delictum arguis?
Id demum eſt homini turpe, quod meruit pati.

FABULA XII.

Pullus ad Margaritam.

IN ſterculino pullus gallinaceus
Dum quærit eſcam, margaritam repperit.
Jaces indigno, quanta res, inquit, loco!
Te ſi quis pretii cupidus vidiſſet tui,
Olim rediſſes ad ſplendorem priſtinum.
Ego quî te inveni? potior cui multo eſt cibus?

Nec tibi prodeſſe, nec mihi quidquam potes.
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

FABULA XIII.

Apes & Fuci, Veſpa judice.

APES in alta quercu fecerant favos.
Hos Fuci inertes eſſe dicebant ſuos.
Lis ad forum deducta eſt, veſpa judice.
Quæ genus utrumque noſſet cum pulcherrime,
Legem duabus hanc propoſuit partibus:
Non inconveniens corpus, & par eſt color,
In dubium plane res ut merito venerit.
Sed, ne religio peccet imprudens mea,
Alvos accipite, & ceris opus infundite,
Ut ex ſapore mellis, & forma favi,
De quis nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recuſant: Apibus conditio placet.
Tunc illa talem protulit ſententiam:
Apertum eſt, quis non poſſit, aut quis fecerit.
Quapropter Apibus fructum reſtituo ſuum.
HANC præteriſſem fabulam ſilentio,
Si pactam Fuci non recuſaſſent fidem.

FABULA XIV.

Æſopus ludens.

PUERORUM in turba quidam ludentem Atticus
Æſopum nucibus cum vidiſſet, reſtitit,
Et quaſi delirum riſit. Quod ſenſit ſimul
Deriſor potius, quam deridendus ſenex;
Arcum retenſum poſuit in media via:
Heus, inquit, Sapiens, expedi, quid fecerim.
Concurrit populus. Ille ſe torquet diu,
Nec quæſtionis poſitæ cauſam intelligit:
Noviſſime ſuccumbit. Tum victor ſophus:
Cito rumpes arcum, ſemper ſi tenſum habueris:
At ſi laxaris, cum voles, erit utilis.
SIC ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

FABULA XV.

Canis ad Agnum.

INTER capellas agno balanti canis,
Stulte, inquit, erras, non eſt hîc mater tua:
Oveſque ſegregatas oſtendit procul.
Non illam quæro, quæ, cum libitum eſt, concipit,
Dein portat onus ignotum certis menſibus,
Noviſſime prolapſam effundit ſarcinam;

Verum illam, quæ me nutrit admoto ubere,
Fraudatque natos lacte, ne deſit mihi.
Tamen illa eſt potior, quæ te peperit. Non ita eſt.
Unde illa ſcivit, niger, an albus naſcerer?
Age porro, ſciſſet: cum crearer maſculus,
Beneficium magnum ſane natali dedit,
Ut exſpectarem lanium in horas ſingulas.
Cujus poteſtas nulla in gignendo fuit,
Cur hac ſit potior, quæ jacentis miſerita eſt,
Dulcemque ſponte præſtat benevolentiam?
Facit parentes bonitas, non neceſſitas.
His demonſtrare voluit auctor verſibus,
Obſiſtere homines legibus, meritis capi.

FABULA XVI.

Cicada & Noctua.

HUMANITATI qui ſe non accommodat,
Plerumque pœnas oppetit ſuperbiæ.
Cicada acerbum noctuæ convicium
Faciebat, ſolitæ victum in tenebris quærere,
Cavoque ramo capere ſomnum interdiu.
Rogata eſt, ut taceret. Multo validius
Clamare cœpit. Rurſus admota prece,
Accenſa magis eſt. Noctua, ut vidit ſibi
Nullum eſſe auxilium, & verba contemni ſua,
Hac eſt aggreſſa garrulam fallacia:
Dormire quia me non ſinunt cantus tui,

Sonare citharâ quos putes Apollinis,
Potare eſt animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit: ſi non faſtidis, veni;
Una bibamus. Illa, quæ ardebat ſiti,
Simul cognovit vocem laudari ſuam,
Cupide advolavit. Noctua, egreſſa e cavo,
Trepidantem conſectata eſt, & leto dedit.
Sic, viva quod negarat, tribuit mortua.

FABULA XVII.

Arbores in Deorum tutela.

Olim, quas vellent eſſe in tutela ſua,
Divi legerunt arbores. Quercus Jovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pinus Cybelæ, populus celſa Herculi.
Minerva admirans, quare ſteriles ſumerent?
Interrogavit. Cauſam dixit Jupiter:
Honorem fructu ne videamur vendere.
At, me Hercules, narrabit, quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructum eſt gratior.
Tunc ſic Deorum genitor atque hominum Sator:
O Nata, merito ſapiens dicere omnibus!
Niſi utile eſt, quod facimus, ſtulta eſt gloria.
Nihil agere, quod non proſit, fabella admonet.

FABULA XVIII.

Pavo ad Junonem.

PAVO ad Junonem venit, indigne ferens,
Cantus luſcinii quod ſibi non tribuerit:
Illum eſſe cunctis auribus admirabilem;
Se derideri, ſimul ac vocem miſerit.
Tunc conſolandi gratia dixit Dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine;
Nitor ſmaragdi collo præfulget tuo,
Pictiſque plumis gemmeam caudam explicas.
Quo mî, inquit, mutam ſpeciem, ſi vincor ſono?
Fatorum arbitrio partes ſunt vobis datæ:
Tibi forma, vires aquilæ, luſcinio melos,
Augurium corvo, læva cornici omina,
Omnes quæ propriis ſunt contentæ dotibus.
NOLI affectare, quod tibi non eſt datum,
Delúſa ne ſpes ad querelam recidat.

FABULA XIX.

Æſopus ad Garrulum.

ÆSOPUS domino ſolus cum eſſet familia,
Parare cœnam juſſus eſt maturius.
Ignem ergo quærens, aliquot luſtravit domos;
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.
Tum circueunti fuerat quod iter longius,

Effecit brevius: namque recta per forum
Cœpit redire. Et quidam e turba garrulus:
Æſope, medio ſole, quid cum lumine?
Hominem, inquit, quæro, & abiit feſtinans domum.
Hoc ſi moleſtus ille ad animum rettulit,
Senſit profecto, ſe hominem non viſum ſeni,
Intempeſtive qui occupato alluſerit.

EPILOGUS.

SUPERSUNT mihi, quæ ſcribam, ſed parco ſciens:
Primum, eſſe ne tibi videar moleſtior,
Diſtringit quem multarum rerum varietas;
Dein, ſi quis eadem forte conari velit,
Habere ut poſſit aliquid operis reſidui.
Quamvis materiæ tanta abundet copia,
Labori faber ut deſit, non fabro labor.
Brevitati noſtræ præmium ut reddas, peto,
Quod es pollicitus: exhibe vocis fidem.
Nam vita morti propior eſt quotidie:
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quo plus conſumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, uſus fiet longior:
Fruar diutius, ſi celerius cepero.
Languentis ævi dum ſunt aliquæ reliquiæ,
Auxilio locus eſt: olim ſenio debilem
Fruſtra adjuvare bonitas nitetur tua;
Cum jam deſierit eſſe beneficium utile,
Et mors vicina flagitabit debitum.

Stultum admovere tibi preces exiſtimo,
Proclivis ultro cum ſit miſericordia.
Sæpe impetravit veniam confeſſus reus:
Quanto innocenti juſtius debet dari?
Tuæ ſunt partes, fuerant aliorum prius:
Dein ſimili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod relligio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac judicio tuo.
Excedit animus, quem propoſuit, terminum;
Sed difficulter continetur ſpiritus,
Integritatis qui ſinceræ conſcius,
A noxiorum premitur inſolentiis.
Qui ſint, requires. Apparebunt tempore.
Ego, quondam legi quam puer ſententiam,
PALAM mutire plebeio piaculum eſt,
Dum ſanitas conſtabit, pulchre meminero.

PHÆDRI

AUGUSTI LIBERTI

FABULARUM

ÆSOPIARUM

LIBER QUARTUS.

PROLOGUS.

Poeta ad Particulonem.

Cum deſtinaſſem operis habere terminum
In hoc, ut aliis eſſet materiæ ſatis,
Conſilium tacito corde damnavi meum.
Nam ſi quis talis etiam eſt ſtudii diligens,
Quo pacto divinabit, quidnam omiſerim,
Ut illud ipſum cupiat famæ tradere:
Sua cuique cum ſit animi cogitatio,
Colorque proprius? Ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio cauſam ſcribendi dedit.

Quare, PARTICULO, quoniam caperis fabulis,
Quas Æſopeas, non Æſopi, nomino,
Paucas oſtendit ille, ego plures diſſero,
Uſus vetuſto genere, ſed rebus novis;
Quartum libellum tu dumtaxat perleges.
Hunc obtrectare ſi volet malignitas,
Imitari dum non poſſit, obtrectet licet.
Mihi parta laus eſt, quod tu, quod ſimiles tui,
Veſtras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa judicatis memoria:
Illiteratum plauſum nec deſidero.

FABULA I.

Aſinus & Galli.

FABULA II adjecta.

De Muſtela & Muribus.

QUI natus eſt infelix, non vitam modo
Triſtem decurrit, verum poſt obitum quoque
Perſequitur illum dura fati miſeria.
Galli Cybeles circum quæſtus ducere
Aſinum ſolebant, bajulantem ſarcinas.
Is cum labore & plagis eſſet mortuus,
Detracta pelle, ſibi fecerunt tympana.
Rogati mox a quodam, delicio ſuo
Quidnam feciſſent, hoc locuti ſunt modo:

Putabat ſe poſt mortem ſecurum fore,
Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.

JOCULARE tibi videtur: & ſane leve,
Dum nihil habemus majus, calamo ludimus.
Sed diligenter intuere has nænias;
Quantam ſub illis utilitatem reperies?
Non ſemper ea ſunt, quæ videntur: decipit
Frons prima multos; rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus ſine mercede exiſtimer,
Fabellam adjiciam DE MUSTELA ET MURIBUS.
Muſtela, cum, annis & ſenecta debilis,
Mures veloces non valeret aſſequi,
Involvit ſe farina, & obſcuro loco
Abjecit negligenter. Mus, eſcam putans,
Aſſiluit, & compreſſus occubuit neci:
Alter ſimiliter, deinde perit & tertius.
Aliquot ſecutis, venit & retorridus,
Qui ſæpe laqueos & muſcipula effugerat:
Proculque inſidias cernens hoſtis callidi,
Sic valeas, inquit, ut farina es, quæ jaces.

FABULA III.

Vulpis & Uva

FAME coacta vulpis alta in vinea
Uvam appetebat, ſummis ſaliens viribus:
Quam tangere ut non potuit, diſcedens ait:
Nondum matura eſt, nolo acerbam ſumere.
Qui, facere quæ non poſſunt, verbis elevant,
Adſcribere hoc debebunt exemplum ſibi.

FABULA IV.

Equus & Aper.

EQUUS ſedare ſolitus quo fuerat ſitim,
Dum ſeſe aper volutat, turbavit vadum.
Hinc orta lis eſt. Sonipes, iratus fero,
Auxilium petiit hominis; quem dorſo levans,
Rediit ad hoſtem. Jactis hunc telis eques
Poſtquam interfecit, ſic locutus traditur:
Lætor, tuliſſe auxilium me precibus tuis;
Nam prædam cepi, & didici, quam ſis utilis.
Atque ita cœgit frenos invitum pati.
Tum mœſtus ille: Parvæ vindictam rei
Dum quæro demens, ſervitutem repperi.
HAEC iracundos admonebit fabula,
Impune potius lædi, quam dedi alteri.

FABULA V.

Poeta.

PLUS esse in uno sæpe, quam in turba, boni,
Narratione posteris tradam brevi.
Quidam decedens tres reliquit filias;
Unam formosam, & oculis venantem viros;
At alteram lanificam, frugi, & rusticam;
Devotam vino tertiam, & turpissimam.
Harum autem matrem fecit heredem Senex,
Sub conditione, totam ut fortunam tribus
Æqualiter distribuat, sed tali modo,
Ne data possideant aut fruantur; tum, simul
Habere res desierint, quas acceperint,
Centena matri conferant sestertia.
Athenas rumor implet. Mater sedula
Juris peritos consulit: nemo expedit,
Quo pacto non possideant, quod fuerat datum,
Fructumve capiant: deinde, quæ tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.
Postquam consumta est temporis longi mora,
Nec testamenti potuit sensus colligi,
Fidem advocavit, jure neglecto, parens.
Seponit mœchæ vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos, glabros:
Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, jumenta, & instrumentum rusticum:

Potrici plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam, & delicatos hortulos.
Sic deſtinata dare cum vellet ſingulis,
Et approbaret populus, qui illas noverat,
Æſopus media ſubito in turba conſtitit:
O ſi maneret condito ſenſus patri,
Quam graviter ferret, quod voluntatem ſuam
Interpretari non potuiſſent Attici!
Rogatus deinde, ſolvit errorem omnium.
Domum & ornamenta, cum venuſtis hortulis,
Et vina vetera date lanificæ ruſticæ;
Veſtem, uniones, pediſſequos, & cetera
Illi aſſignate, vitam quæ luxu trahit:
Agros, vites, & pecora cum paſtoribus
Donate mœchæ. Nulla poterit perpeti,
Ut moribus quid teneat alienum ſuis.
Deformis cultum vendet, ut vinum petat:
Agros abjiciet mœcha, ut ornatum paret:
At illa gaudens pecore, & lanæ dedita,
Quacunque ſumma tradet luxuriæ domum.
Sic nulla poſſidebit, quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam,
Ex pretio rerum, quas vendiderint ſingulæ.
ITA, quod multorum fugit imprudentiam,
Unius hominis repperit ſolertia.

FABULA VI.

Pugna Murium & Muſtelarum.

CUM victi mures muſtelarum exercitu
(Hiſtoria quorum & in tabernis pingitur)
Fugerent, & artos circum trepidarent cavos;
Ægre recepti, tamen evaſerunt necem.
Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, ut conſpicuum in prœlio
Haberent ſignum, quod ſequerentur, milites,
Hæſere in portis, ſuntque capti ab hoſtibus;
Quos immolatos victor avidis dentibus
Capacis alvi merſit tartareo ſpecu.
QUEMCUNQUE populum triſtis eventus premit,
Periclitatur magnitudo principum,
Minuta plebes facili præſidio latet.

FABULA VII.

Poeta.

Tu, qui, naſute, ſcripta deſtringis mea,
Et hoc jocorum legere faſtidis genus,
Parva libellum ſuſtine patientia,
Severitatem frontis dum placo tuæ,
Et in cothurnis prodit Æſopus novis.

Utinam nec unquam Pelii nemoris jugo
Pinus bipenni concidiſſet Theſſala!
Nec ad profeſſæ mortis audacem viam
Fabricaſſet Argus opere Palladio ratem!
Inhoſpitalis prima quæ Ponti ſinus
Patefecit, in perniciem Grajûm & Barbarûm.
Namque & ſuperbi luget Æetæ domus,
Et regna Peliæ ſcelere Medeæ jacent:
Quæ, ſævum ingenium variis involvens modis,
Illic per artus fratris explicuit fugam;
Hic cæde patris Peliadum infecit manus.
Quid tibi videtur? Hoc quoque inſulſum eſt, ais,
Falſoque dictum; longe quia vetuſtior
Ægea Minos claſſe perdomuit freta,
Juſtoque vindicavit exemplo impetum.
Quid ergo poſſum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellæ te juvant, nec fabulæ?
Noli moleſtus eſſe omnino literis,
Majorem exhibeant ne tibi moleſtiam.
Hoc illis dictum eſt, qui ſtultitia nauſeant,
Et, ut putentur ſapere, cœlum vituperant.

FABULA VIII.

Vipera & Lima.

MORDACIOREM qui improbo dente appetit,
Hoc argumento ſe deſcribi ſentiat.
In officinam fabri venit Vipera:

Hæc cum tentaret, ſi qua res eſſet cibi,
Limam momordit. Illa contra contumax,
Quid me, inquit, ſtulta, dente captas lædere,
Omne adſuëvi ferrum quæ corrodere?

FABULA IX.

Vulpus & Hircus.

Homo, in periclum ſimul ac venit, callidus
Reperire effugium alterius quærit malo.
Cum decidiſſet Vulpis in puteum inſcia,
Et altiore clauderetur margine;
Devenit Hircus ſitiens in eundem locum,
Simul rogavit, eſſet an dulcis liquor,
Et copioſus? Illa fraudem moliens:
Deſcende, amice, tanta bonitas eſt aquæ,
Voluptas ut ſatiari non poſſit mea.
Immiſit ſe Barbatus. Tum Vulpecula
Evaſit puteo, nixa celſis cornibus,
Hircumque clauſo liquit hærentem vado.

FABULA X.

Dei vitiis Hominum.

PERAS impoſuit Jupiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis poſt tergum dedit,
Alienis ante pectus ſuſpendit gravem.
HAC re videre noſtra mala non poſſumus;
Alii ſimul delinquunt, cenſores ſumus.

FABULA XI.

Fur aram compilans.

LUCERNAM fur accendit ex ara Jovis,
Ipſumque compilavit ad lumen ſuum,
Onuſtus ſacrilegio cum diſcederet,
Repente vocem ſancta miſit Religio:
Malorum quamvis iſta fuerint munera,
Mihique inviſa, ut non offendar ſurripi;
Tamen, ſceleſte, ſpiritu culpam lues,
Olim cum adſcriptus venerit pœnæ dies.
Sed ne ignis noſter facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos,
Veto eſſe tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma Deûm,
Nec de lucerna fas eſt accendi ſacrum.
QUOT res contineat hoc argumentum utiles,

Non explicabit alius, quam qui repperit.
Significat primo, ſæpe, quos ipſe alueris,
Tibi inveniri maxime contrarios:
Secundo oſtendit, ſcelera non ira Deûm,
Fatorum dicto ſed puniri tempore:
Noviſſime interdicit, ne cum malefico
Uſum bonus conſociet ullius rei.

FABULA XII.

Malas eſſe divitias.

OPES inviſæ merito ſunt forti viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.
Cœlo receptus propter virtutem Hercules,
Cum gratulantes perſalutaſſet Deos;
Veniente Pluto, qui Fortunæ eſt filius,
Avertit oculos. Cauſam quæſivit pater.
Odi, inquit, illum, quia malis amicus eſt,
Simulque objecto cuncta corrumpit lucro.

FABULA XIII.

Leo regnans.

UTILIUS homini nihil eſt, quam recte loqui;
Probanda cunctis eſt quidem ſententia,
Sed ad perniciem ſolet agi ſinceritas.
Cum ſe ferarum Regem feciſſet Leo,

Et æquitatis vellet famam consequi,
A pristina deflexit consuetudine,
Atque inter illas tenui contentus cibo,
Sancta incorrupta jura reddebat fide.

* * *

[*Reliqua ex fabula apud Romulium III, 20 supplenda*]

FABULA XIV.

Prometheus.

* * *

Postquam lavare cœpit pœnitentia
Affictione veretri linguam mulieris,
Affinitatem traxit inde obscœnitas.
ROGAVIT alter, tribadas & molles mares
Quæ ratio procreasset ? Exposuit senex.
Idem Prometheus, auctor vulgi fictilis,
Qui simul offendit ad fortunam, frangitur,
Naturæ partes, veste quas celat pudor,
Cum separatim toto finxisset die,
Aptare mox ut posset corporibus suis,
Ad cœnam est invitatus subito a Libero.
Ubi irrigatus multo venas nectare,
Sero domum est reversus titubanti pede.
Tum semisomno corde, & errore ebrio,
Applicuit virginale generi masculo

Et maſculina membra applicuit feminis.
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

FABULA XV.

Capellæ & Hirci.

BARBAM capellæ cum impetraſſent ab Jove,
Hirci mœrentes indignari cœperunt,
Quod dignitatem feminæ æquaſſent ſuam.
Sinite, inquit, illas gloria vana frui,
Et uſurpare veſtri ornatum muneris,
Pares dum non ſint veſtræ fortitudini.
Hoc argumentum monet, ut ſuſtineas tibi
Habitu eſſe ſimiles, qui ſunt virtute impares.

FABULA XVI.

Gubernator & Nautæ.

CUM de fortunis quidam quereretur ſuis;
Æſopus finxit conſolandi gratia.
Vexata ſævis navis tempeſtatibus,
Inter vectorum lacrimas & mortis metum,
Faciem ad ſerenam ſubito ut mutatur dies,
Ferri ſecundis tuta cœpit flatibus,
Nimiaque nautas hilaritate extollere.
Factus periclo tum Gubernator ſophus:

PARCE gaudere oportet, & ſenſim queri,
Totam quia vitam miſcet dolor & gaudium,

FABULA XVII.

Canum Legati ad Jovem.

CANES legatos olim miſere ad Jovem,
Melioris vitæ tempus oratum ſuæ,
Ut ſeſe eriperet hominum contumeliis,
Furfuribus ſibi conſperſum quod panem darent,
Fimoque turbi maximam explerent famem.
Profecti ſunt legati non celeri pede:
Dum naribus ſcrutantur eſcam in ſtercore,
Citati non reſpondent. Vix tandem invenit
Eos Mercurius, & turbatos attrahit.
Tum vero vultum magni ut viderunt Jovis,
Totam timentes concacarunt regiam.
Propulſi vero fuſtibus, vadunt foras:
Vetat dimitti magnus illos Jupiter.
Mirati, ſibi legatos non revertier,
Turpe æſtimantes aliquid commiſſum a ſuis,
Poſt aliquod tempus alios adſciri jubent.
Rumor legatos ſuperiores prodidit.
Timentes rurſus aliquid ne ſimile accidat.
Odore canibus anum, ſed multo, replent,
Mandant, Deum, ut mittuntur, oratum ſtatim
Adeant. Rogantes aditum, continuo impetrant.
Conſedit genitor tum Deorum maximus,

Quaſſatque fulmen: tremere cœpere omnia.
Canes confuſi, ſubitus quod fuerat fragor,
Repente odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes, vindicandam injuriam.
Sic eſt locutus ante pœnam Jupiter:
Non regis eſt, legatos non dimittere,
Nec eſt difficile, pœnas culpæ imponere.
Sed hoc feretis pro judicio præmium:
Non veto dimitti, verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non poſſint ſuum:
Illi autem, qui miſerunt vos tam futiles,
Nunquam carebunt hominis contumelia.
Ita nunc legatos exſpectant & poſteri;
Novum venire qui videt, culum olfacit.

FABULA XVIII.

Homo & Colubra.

Qui fert malis auxilium, poſt tempus dolet.
Gelu rigentem quidam colubram ſuſtulit,
Sinuque fovit, contra ſe ipſe miſericors.
Namque ut refecta eſt, necuit hominem protinus.
Hanc alia cum rogaret cauſam facinoris,
Reſpondit: Ne quis diſcat prodeſſe improbis.

FABULA XIX.

Vulpis & Draco.

VULPIS, cubile fodiens, dum terram eruit,
Agitque plures altius cuniculos,
Pervenit ad Draconis ſpeluncam ultimam,
Cuſtodiebat qui theſauros abditos.
Hunc ſimul aſpexit: Oro, ut imprudentiæ
Des primum veniam; deinde, ſi pulchre vides,
Quam non conveniens aurum ſit vitæ meæ,
Reſpondeas clementer: Quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum eſt præmium,
Ut careas ſomno, & ævum in tenebris exigas?
Nullum, inquit ille: verum hoc a ſummo mihi
Jove attributum eſt. Ergo nec ſumis tibi,
Nec ulli donas quidquam? Sic fatis placet.
Nolo iraſcaris, libere ſi dixero:
Dis eſt iratis natus, qui eſt ſimilis tibi.
ABITURUS illuc, quo priores abierunt,
Quid mente cæca miſerum torques ſpiritum?
Tibi dico, Avare, gaudium heredis tui,
Qui ture ſuperos, ipſum te fraudas cibo;
Qui triſtis audis muſicum citharæ ſonum;
Quem tibiarum macerat jocunditas;
Opſoniorum pretia cui gemitum exprimunt;
Qui, dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cœlum fatigas ſordido perjurio;

Qui circumcidis omnem impenſam funeris,
Libitina ne quod de tuo faciat lucrum.

FABULA XX.

Phædrus.

QUID judicare cogitet livor modo,
Licet diſſimulet, pulchre tamen intelligo.
Quidquid putabit eſſe dignum memoriæ,
Æſopi dicet: ſi quid minus arriſerit,
A me contendet fictum quovis pignore.
Quem volo refelli jam nunc reſponſo meo:
Sive hoc ineptum, ſive laudandum eſt opus,
Invenit ille, noſtra perfecit manus.
Sed exſequamur cœptum propoſiti ordinem.

FABULA XXI.

Naufragium Simonidis.

HOMO doctus in ſe ſemper divitias habet.
Simonides, qui ſcripſit egregium melos,
Quo paupertatem ſuſtineret facilius,
Circuire cœpit urbes Aſiæ nobiles,
Mercede accepta laudem victorum canens.
Hoc genere quæſtus poſtquam locuples factus eſt,
Venire in patriam voluit curſu pelagio.
(Erat autem, ut ajunt, natus in Cea inſula.)

Aſcendit navem, quam tempeſtas horrida
Simul & vetuſtas medio diſſolvit mari.
Hi zonas, illi res pretioſas colligunt,
Subſidium vitæ. Quidam curioſior,
Simonide, tu ex opibus nil ſumis tuis?
Mecum, inquit, mea ſunt cuncta. Tunc pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierant.
Prædones adſunt, rapiunt, quod quiſque extulit,
Nudos relinquunt. Forte Clazomenæ prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic literarum quidam ſtudio deditus,
Simonidis qui ſæpe verſus legerat,
Eratque abſentis admirator maximus,
Sermone ab ipſo cognitum cupidiſſime
Ad ſe recepit; veſte, numis, familia
Hominem exornavit. Ceteri tabulam ſuam
Portant, rogantes victum. Quos caſu obvius
Simonides ut vidit: Dixi, inquit, mea
Mecum eſſe cuncta; vos quod rapuiſtis, perit.

FABULA XXII.

Mons parturiens.

Mons parturibat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima exſpectatio.
At ille murem peperit. Hoc ſcriptum eſt tibi,
Qui, magna cum minaris, extricas nihil.

FABULA XXIII.

Formica & Muſca.

FORMICA & Muſca contendebant acriter,
Quæ pluris eſſet. Muſca ſic cœpit prior:
Conferre noſtris tu potes te laudibus?
Ubi immolatur, exta prægusto Deûm,
Moror inter aras, templa, perluſtro omnia.
In capite Regis ſedeo, cum viſum eſt mihi,
Et matronarum caſta delibo oſcula,
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum ſimile tibi contingit? Ruſtica:
Eſt glorioſus ſane convictus Deûm,
Sed illi, qui invitatur, non qui inviſus eſt.
Reges commemoras, & matronarum oſcula:
Ego granum in hiemem cum ſtudioſe congero,
Te circa murum video paſci ſtercore.
Aras frequentas: nempe abigeris, quo venis.
Nihil laboras: ideo, cum opus eſt, nil habes;
Super etiam jactas, tegere quod debet pudor.
Æſtate me laceſſis; cum bruma eſt, ſiles.
Mori contractam cum te cogunt frigora,
Me copioſa recipit incolumem domus.
Satis profecto rettudi ſuperbiam.
FABELLA talis hominum diſcernit notas
Eorum, qui ſe falſis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet ſolidum decus.

FABULA XXIV.

Simonides a Diis ſervatus.

QUANTUM valerent inter homines literæ,
Dixi ſuperius: quantus nunc illis honos
A Superis ſit tributus, tradam memoriæ.
Simonides idem ille, de quo rettuli,
Victori laudem cuidam Pyctæ ut ſcriberet,
Certo conduxit pretio: ſecretum petit.
Exigua cum frenaret materia impetum,
Uſus, poetæ ut moris eſt, licentia,
Atque interpoſuit gemina Ledæ ſidera,
Auctoritatem ſimilis referens gloriæ.
Opus approbavit: ſed mercedis tertiam
Accepit partem. Cum reliquum poſceret,
Illi, inquit, reddent, quorum ſunt laudis duæ.
Verum, ut ne irate te dimiſſum ſentiam,
Ad cœnam mihi promitte, cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis, & dolens injuria,
Ne male demiſſus gratiam corrumperet,
Promiſit. Redit hora dicta, recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium;
Magno apparatu læta reſonabat domus:
Repente duo cum juvenes, ſparſi pulvere,
Sudore multo diffluentes, corpore
Humanam ſupra formam, cuidam ſervulo
Mandant, ut ad ſe provocet Simonidem;

Illius intereſſe, ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Unum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camaræ ſubito oppreſſit ceteros;
Nec ulli juvenes ſunt reperti ad januam.
Ut eſt vulgatus ordo narratæ rei,
Omnes ſcierunt, Numinum præſentiam
Vati dediſſe vitam mercedis loco.

EPILOGUS.

ADHUC ſuperſunt multa, quæ poſſim loqui,
Et copioſa abundat rerum varietas:
Sed temperatæ ſuaves ſunt argutiæ,
Immodicæ offendunt. Quare, vir ſanctiſſime,
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis,
Si non ingenium, certe brevitatem approba,
Quæ commendari tanto debet juſtius,
Quanto Poetæ ſunt moleſti validius.

PHÆDRI

AUGUSTI LIBERTI

FABULARUM

ÆSOPIARUM

LIBER QUINTUS.

PROLOGUS.

ÆSOPI nomen ſicubi interpoſuero,
Cui reddidi jam pridem, quidquid debui,
Auctoritatis eſſe ſcito gratia:
Ut quidam artifices noſtro faciunt ſeculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori adſcripſerunt Praxitelen ſuo,
Detrito. Mirum, ni animos fabulæ excitent
Adeo fucatæ. Plus vetuſtati favet
Invidia mordax, quam bonis præſentibus.
Sed jam ad fabellam talis exempli feror.

FABULA I.

Demetrius & Menander.

DEMETRIUS, qui dictus eſt Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo.
Ut mos eſt vulgi, paſſim & certatim ruunt,
FELICITER ſucclamant. Ipſi principes
Illam oſculantur, qua ſunt oppreſſi, manum,
Tacite gementes triſtem fortunæ vicem.
Quin etiam reſides, & ſequentes otium,
Ne defuiſſe noceat, repunt ultimi:
In quîs Menander, nobilis comœdiis,
Quas, ipſum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri,
Unguento delibutus, veſtitu affluens,
Veniebat greſſu delicato & languido.
Hunc ubi Tyrannus vidit extremo agmine:
Quiſnam cinædus ille in conſpectu meo
Audet venire? Reſponderunt proximi:
Hic eſt Menander ſcriptor. Mutatus ſtatim,
Homo, inquit, eſſe non poteſt facetior.

FABULA II.

Viatores & Latro.

Duo cum incidiſſent in Latronem milites,
Unus profugit; alter autem reſtitit,
Et vindicavit ſeſe forti dextera.
Latrone occiſo, timidus accurrit comes,
Stringitque gladium, dein, rejecta penula,
Cedo, inquit, illum, jam curabo ſentiat,
Quos attentarit. Tunc, qui depugnaverat:
Vellem, iſtis verbis ſaltem adjuviſſes modo,
Conſtantior fuiſſem, vera exiſtimans:
Nunc conde ferrum, & linguam pariter futilem,
Ut poſſis alios ignorantes fallere.
Ego, qui ſum expertus, quantis fugias viribus,
Scio, quod virtuti non ſit credendum tuæ.
ILLI aſſignari debet hæc narratio,
Qui re ſecunda fortis eſt, dubia fugax.

FABULA III.

Calvus & Muſca.

CALVI momordit Muſca nudatum caput:
Quam opprimere captans, alapam ſibi duxit gravem.
Tunc illa irridens: Punctum volucris parvulæ
Voluiſti morte ulciſci: quid facies tibi,

Injuriæ qui addideris contumeliam?
Reſpondit: Mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuiſſe mentem lædendi ſcio.
Sed te, contemti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum ſanguinem,
Optem necare vel majore incommodo.
Hoc argumentum veniam jam dari docet,
Qui caſu peccat: at qui conſilio eſt nocens,
Illum eſſe quamvis dignum pœna judico.

FABULA IV.

Homo & Aſinus.

QUIDAM immolaſſet verrem cum ſancto Herculi,
Cui pro ſalute votum debebat ſua,
Aſello juſſit reliquias poni hordei.
Quas aſpernatus ille, ſic locutus eſt:
Libentèr iſtum prorſus appeterem cibum,
Niſi, qui nutritus illo eſt, jugulatus foret.
Hujus reſpectu fabulæ deterritus,
Periculoſum ſemper vitavi lucrum.
Sed dicis, qui rapuere divitias, habent.
Numeremus, agedùm, qui deprenſi perierint:
Majorem turbam punitorum reperies.
PAUCIS temeritas eſt bono, multis malo.

FABULA V.

Scurra & Ruſticus.

PRAVO favore labi mortales ſolent,
Et, pro judicio dum ſtant erroris ſui,
Ad pœnitendum rebus manifeſtis agi.
Facturus ludos dives quidam & nobilis,
Propoſito cunctos invitavit præmio,
Quam quiſque poſſet, ut novitatem oſtenderet.
Venere artifices laudis ad certamina:
Quos inter Scurra, notus urbano ſale,
Habere dixit ſe genus ſpectaculi,
Quod in theatro nunquam prolatum foret.
Diſperſus rumor civitatem concitat:
Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.
In ſcena vero poſtquam ſolus conſtitit,
Sine apparatu, nullis adjutoribus,
Silentium ipſa fecit exſpectatio.
Ille in ſinum repente demiſit caput,
Et ſic porcelli vocem eſt imitatus ſua,
Verum ut ſubeſſe pallio contenderent,
Et excuti juberent. Quo facto, ſimul
Nihil eſt repertum, multis onerant laudibus,
Hominemque plauſu proſequuntur maximo.
Hoc vidit fieri Ruſticus. Non mehercule
Me vincet, inquit: & ſtatim profeſſus eſt,
Idem facturum melius ſe poſtridie.
Fit turba major. Jam favor mentes tenet,

Et derisuri, non spectaturi, sedent.
Uterque prodit. Scurra degrunnit prior,
Movetque plausus, & clamores suscitat.
Tunc simulans sese vestimentis Rusticus
Porcellum obtegere, (quod faciebat scilicet,
Sed, in priore quia nil compererant, latens)
Pervellit aurem vero, quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturæ exprimit.
Acclamat populus, Scurram multo similius
Imitatum, & cogit Rusticum trudi foras.
At ille profert ipsum porcellum e sinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans,
En! hic declarat, quales sitis judices.

FABULA VI.

Duo Calvi.

INVENIT Calvus forte in trivio pectinem:
Accessit alter, æque defectus pilis:
Eia, inquit, in commune, quodcunque est lucri.
Ostendit ille prædam, & adjecit simul:
Superûm voluntas favit: sed, fato invido,
Carbonem, ut ajunt, pro thesauro invenimus.
QUEM spes delusit, huic querela convenit.

FABULA VII.

Princeps Tibicen.

Ubi vanus animus, aura captus frivola,
Arripuit inſolentem ſibi fiduciam,
Facile ad deriſum ſtulta levitas ducitur.
Princeps tibicen notior paulo fuit,
Operam Bathyllo ſolitus in ſcena dare.
Is forte ludis (non ſatis memini quibus)
Dum pegma rapitur, concidit caſu gravi
Nec opinus, & ſiniſtram fregit tibiam,
Duas cum dextras maluiſſet perdere.
Inter manus ſublatus, & multum gemens
Domum refertur. Aliquot menſes tranſeunt,
Ad ſanitatem dum venit curatio.
Ut ſpectatorum mos eſt & lepidum genus,
Deſiderari cœpit, cujus flatibus
Solebat excitari ſaltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobilis,
Et incipiebat Princeps ingredier. Eum
Adducit pretio, precibus, ut tantummodo
Ipſo ludorum oſtenderet ſeſe die.
Qui ſimul advenit, rumor de tibicine
Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum,
Quidam in conſpectum proditurum ſine mora.
Aulæo miſſo, devolutis tonitrubus,
Dî ſunt locuti more translatitio.
Tunc chorus ignotum modo reducto canticum

Impoſuit, cujus hæc fuit ſententia:
Lætare incolumis, Roma, ſalvo Principe.
In plauſus conſurrectum eſt. Jactat baſia
Tibicen, gratulari fautores putat.
Equeſter ordo ſtultum errorem intelligit,
Magnoque riſu canticum repeti jubet.
Iteratur illud. Homo meus ſe in pulpito
Totum proſternit: plaudit illudens eques;
Rogare populus hunc coronam exiſtimat.
Ut vero cuneis notuit res omnibus,
Princeps ligato crure nivea faſcia,
Niveiſque tunicis, niveis etiam calceis,
Superbiens honore divinæ domus,
Ab univerſis capite eſt protruſus foras.

FABULA VIII.

Occaſio depicta.

CURSU volucri, pendens in novacula,
Calvus comoſa fronte, nudo occipitio,
Quem ſi occuparis, teneas; elapſum ſemel
Non ipſe poſſit Jupiter reprehendere,
Occaſionem rerum ſignificat brevem.
EFFECTUS impediret ne ſegnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem Temporis.

FABULA IX.

Taurus & Vitulus.

ANGUSTO in aditu Taurus luctans cornibus,
Cum vix intrare poſſet ad præſepia,
Monſtrabat Vitulus, quo ſe pacto plecteret.
Tace, inquit, ante hoc novi, quam tu natus es.
Qui doctiorem emendat, ſibi dici putet.

FABULA X.

Venator & Canis.

ADVERSUS omnes fortis veloces feras
Canis cum domino ſemper feciſſet ſatis,
Languere cœpit annis ingravantibus.
Aliquando objectus hiſpidi pugnæ Suis,
Arripuit aurem: ſed cariosis dentibus
Prædam dimiſit. Hic tum Venator dolens
Canem objurgabat. Cui Latrans contra ſenex:
Non te diſtituit animus, ſed vires meæ.
Quod fuimus, laudas; jam damnas, quod non ſumus.
Hoc cur, PHILETE, ſcripſerim, pulchre vides.

10242404

APPENDIX DUPLEX.

I. FABULÆ QUINQUE EX XXXIX, QUAS MARQ. GUDIUS E MS. DIVIONENSI DESCRIPSIT, SUPERSTITES ET NUMERIS SUIS REDDITÆ.

II. FABULÆ VI---XXXIV EX RIMICIO, ANONYMO, ROMULO NILANTII ET ALIIS, IN SENARIOS REDACTÆ STUDIO PETRI BURMANNI.

10242404

APPENDIX I

FABULARUM GUDIANARUM QUINQUE.

FABULA I.

Miluus ægrotans.

MULTOS cum menſes ægrotaſſet Miluus,
Nec jam videret eſſe vitæ ſpem ſuæ;
Matrem rogabat, ſancta circuiret loca,
Et pro ſalute vota faceret maxima.
Faciam, inquit, fili, ſed, opem ne non impetrem,
Vehementer vereor: tu, qui delubra omnia
Vaſtando, cuncta polluiſti altaria,
Sacrificiis nullis parcens, nunc quid vis rogem?

FABULA II.

Lepores vitæ pertæſi.

QUI ſuſtinere non poteſt ſuum malum,
Alios inſpiciat, & diſcat tolerantiam.

Aliquando in ſilvis ſtrepitu magno conciti
Lepores clamant, ſe propter aſſiduos metus
Finire velle vitam. Sic quendam ad lacum
Venerunt, miſeri quo ſe præcipites darent.
Adventu quorum poſtquam Ranæ territæ
Virides in algas miſere fugientes ruunt:
Heu, inquit unus, ſunt & alii, quos timor
Vexat malorum. Ferte vitam, ut ceteri.

FABULA III.

Vulpis & Jupiter.

NATURAM turpem nulla fortuna obtegit,
Humanam in ſpeciem cum vertiſſet Jupiter
Vulpem, regali pellex ut ſedit throno,
Scarabæum vidit prorepentem ex angulo,
Notamque ad prædam celeri proſiluit gradu.
Superi riſere, magnus erubuit pater,
Repudiatam turpemque pellicem expulit;
His proſecutus: Vive, quo digna es, modo,
Quæ noſtris uti meritis digne non potes.

FABULA IV.

Leo & Mus.

NE quis minores lædat, fabula hæc monet,
Leone in ſilva dormiente, ruſtici
Luxuriabant Mures, & unus ex iis

Super cubantem caſu quodam tranſiit.
Expergefactus miſerum Leo celeri impetu
Arripuit; ille veniam ſibi dari rogat,
Supplex fatetur peccatum imprudentiæ.
Hoc rex ulciſci glorioſum non putans,
Ignovit & dimiſit. Poſt paucos dies
Leo, dum vagatur noctu, in foveam decidit.
Captum ut ſe agnovit laqueis, voce maxima
Rugire cœpit; cujus immanem ad ſonum
Mus ſubito accurrens: Non eſt, quod timeas, ait,
Beneficio magno gratiam reddam parem.
Mox omnes artus, artuum & ligamina
Luſtrare cœpit, cognitoſque dentibus
Nervos rodendo laxat ingenia artuum.
Sic captum Mus Leonem ſilvis reddidit.

FABULA V. *

Homo & arbores.

PEREUNT, ſuis auxilium qui dant hoſtibus.
Facta bipenni quidam ab arboribus petit,
Manubrium ut darent e ligno, quod foret
Firmum: juſſerunt omnes oleaſtrum dari.
Accepit munus, aptans & manubrium
Cœpit ſecuri magna excidere robora.
Dumque eligebat, quæ vellet, ſic Fraxino
Dixiſſe fertur Quercus: Merito cædimur.

* Quam Phædri fabulam, ut ex prologo L. I Phædrio ap-

paret, Gudius in vetere MS. hunc in modum interpolatam, vel deformatam reperit:

Aliquanti dantes auxilium hoſtibus ſuis pereunt. Homo ſecure facta ab arboribus poſtulat manubrium ut darent, de ligno quod eſſet firmum, omnes Oleaſtrum juſſerunt dare. Accepit homo manubrium apta ſecure robora cœpit decidere, magna truncabat & eligebat. Sic quercus fraxino dixiſſe fertur, Digne & bene patimur, quia manubria dedimus.

Eam Gudius triplicem in modum numeris reſtituit:

I

Auxilia qui dat hoſtibus ſuis, perit.
Secure facta ab arboribus homo poſtulat
Manubrium ut darent de ligno, quod foret
Firmum: juſſerunt omnes Oleaſtrum dari.
Accepit ille; oblatum & manubrium
Aptans ſecuri magna caedit robora,
Et eligebat arbores. Tunc ſic Fraxino
Dixiſſe fertur Quercus: merito ferreas
Patimur Bipennes: quia dedimus manubria.

II. Melius ad veſtigia veteris libri expreſſa videtur ipſi Gudio:

Pereunt ſuis auxilium dantes hoſtibus.
Facta Bipenni ab arboribus homo petit
Manubrium ut darent e ligno quod foret
Firmum. Juſſerunt omnes oleaſtrum dari.
Accepit ille munus, & manubrium
Aptans ſecuri magna caedit robora:
Dumque eligebat, quae vellet, ſic Fraxino
Dixiſſe fertur Quercus: merito maleficas
Patimur Bipennes, quibus adjumento ſumus.

III. Brevior quidem, ſed quæ in fine Phædrum ſui facit παρῳδὸν vel æmulum, P. Burmanno præ ceteris placuit, quam correctiorem ederet, eoque editiones obtinet, prouti eam ſupra fab. V dedimus.

Nobis vero propius abludere a verbis Mſti veteris videtur ſic reparata:

Aliquando pereunt hoſti auxiliantes ſuo.
Facta ſecuri, ab Arboribus Homo poſtulat,
Manubrium ut darent de ligno, quod foret
Firmum. Juſſerunt omnes Oleaſtrum dari.
Accepit ille, aptaque ſecuri robora
Decidere cœpit magna truncans lectaque.
Hic tum dixiſſe fertur Quercus Fraxino:
Ex merito patimur, quæ dedimus manubrium.

APPENDIX II

FABULARUM

A. P. BURMANNO

SENARIIS REDDITARUM.

FABULA VI.

Mus & Rana.

Mus, quo tranſire poſſet flumen facilius,
Auxilium Ranæ petit. Hæc Muris alligat
Lino priorem crus ad poſterius pedem.
Amnem natantes vix medium devenerant,
Cum Rana, ſubito fundum fluminis petens,
Se mergit, Muri ut vitam eriperet perfide.
Qui dum, ne mergeretur, tendit validius,
Prædam conſpexit Miluus propter volans,
Muremque fluctuantem rapuit unguibus,
Simulque Ranam colligatam ſuſtulit.
Sic ſæpe intereunt, aliis meditantes necem.

FABULA VII.

Galli duo & Accipiter.

GALLUS cum Gallo ſæpe pugnam conſerens,
Accipitrem victus judicem litis petit.
Hic, ambo ſi venirent, mente concipit
Spem devorandi, qui exhiberet ſe prior.
Mox cum veniſſe, cauſam ut orarent ſuam,
Vidit, prehendit illum, qui primus forum
Deduxit ad ſuum litem. Ille clamitat:
Ne plectar ego, ſed ille, qui fugam petit.
Cui ales: Hodie ne te credas unguibus
Poſſe eripi meis; quos alteri dolos
Tendebas, æquum te nunc eſt ipſum pati.
QUI ſæpe tractat aliorum ſecum necem,
Ignorat, triſte quod ſibi fatum paret.

FABULA VIII.

Cochlea & Simius.

AMORE tacta ſpeculi inventi Cochlea,
Fulgentis orbem ſcandens, cœpit lingere,
Nil illi melius contuliſſe ſe putans,
Quam ſi ſplendorem commacularet ſordibus.
Ut inquinatum vidit ſpeculum Simius,
Qui ſe calcari talibus permiſerit,

Meretur, inquit, tale dedecus pati.
HAEC illis eſt fabella ſcripta feminis,
Ineptis quæ ſe jungunt & ſtultis viris.

FABULA IX.

Mus urbanus & ruſticus.

HOSPITIO quondam Mus urbanus ruſtici
Exceptus, vili glande cœnat in cavo.
Induxit precibus poſt, ut urbem ruſticus
Cellamque intraret plenam rebus optimis.
In qua dum variis perfruuntur reliquiis,
Impulſo venit oſtio cellarius.
Quo mures diffugiunt ſtrepitu perterriti,
Et notis facile urbanus ſe condit cavis;
At miſer ignota trepidans ruſticus domo,
Timenſque mortem, per parietes curſitat.
Ut, quæ volebat, ſuſtulit cellarius,
Clauſitque limen, iterum urbanus ruſticum
Hortatur. Ille perturbatis ſenſibus
Vix, inquit, poſſum capere præ metu cibum.
Putaſne, veniet ille? Quid tantum times,
Urbanus inquit? age, fruamur ferculis,
Quæ fruſtra rure quæras. Contra ruſticus:
Tu, qui timere neſcis, fruere his omnibus;
At me ſecurum paſcat glans & liberum.
IN paupertate tutum præſtat vivere,
Quam divitiarum carpi ſollicitudine.

FABULA X.

Asinus domino blandiens.

BLANDIRI domino Asellus ut vidit suo
Canem, & de mensa saturari quotidie,
Et frusta largiter jactari a familia,
Sic est locutus: Si canem immundissimum
In tantum dominus & familia diligit,
Quid me futurum, si par illi fecero
Officium, multo qui sum melior hoc cane,
Rebusque pluribus utilis & laudabilis?
Alor qui sanctæ fontibus puris aquæ,
Ciboque nunquam soleo pasci sordido.
Sum sane catulo dignior vita frui
Beatiore, honorem & summum consequi.
Asellus hæc dum secum, stabulum conspicit
Intrare dominum: quare accurrens ocius,
Rudensque prosilit, & humeris ambos pedes
Imponit, osque lingua cœpit lambere,
Vestemque fœdis scindens ungulis, gravi
Herum fatigat, stulte blandus, pondere.
Clamore domini concitatur familia,
Fustesque & saxa passim arripiens obvia,
Rudentem mulcat; & mox membris debilem
Fractisque coxis, domini lapsum a corpore,
Semianimum tandem dejicit ad præsepia.
FABELLA, ineptus ne se invitis ingerat,
Melioris aut affectet officium, docet.

FABULA XI.

Grus, Cornix & Dominus.

FOEDUS juratæ Grus & Cornix junxerant,
Cornicem Grus ab avibus ut defenderet;
Cornix futura, ut Grus caveret, diceret.
Hinc cum frequenter ad cujuſdam Ruſtici
Agrum volarent, atque evellerent ſata
Radicitus; agri Dominus vidit, & dolens,
Saxum da, clamat, quo feriam gruem, puer.
Cornix ut audit, illico monet gruem,
Sibi quæ cavit. Alia dein die audiens
Cornix petentem ſaxum: rurſus commonet
Gruem, ut vitaret ſedulo periculum.
Avem divinam ſuſpicatus Ruſticus
Audire juſſa; puero, Si, inquit, dixero,
Offam da, tu mihi clam lapidem porrige.
Grus venit, ille puerum offam jubet dare;
At ille lapidem, quo ferit gruem, dedit,
Et crura fregit. Vulneratus Grus ait:
Divina Cornix, ubi nunc auſpicia tua?
Cur non monere ſocium, ut dejeraveras,
Properaſti, tale ne mihi veniret malum?
Reſpondit illa, non meretur ars mea
Culpari, ſed doloſa ſunt bilinguium
Conſilia, qui aliud dicunt, atque aliud agunt.
PROMISSIS ducunt qui imperitos ſubdolis,
Mox fictis cauſis haud deſiſtunt ludere.

FABULA XII.

Aves & Hirundo.

AVES in unum cum deveniſſent locum,
Viderunt hominem ſeminantem linum agro.
Quod ut pro nihilo habere Hirundo intelligit,
Sic convocatas allocuta traditur:
Hinc nobis inſtat omnibus periculum,
Si ſemen ad maturitatem venerit.
Aves riſere. Germinavit ut vero ſeges,
Hirundo rurſus, Inſtat pernicies, ait:
Adeſte, germen eruamus noxium,
Ne, ſi mox creſcat, inde fiant retia,
Et nos poſſimus artibus humanis capi.
Ridere pergunt verba Aves hirundinis,
Conſilium & ſpernunt ſtulte prudentiſſimum.
At illa cauta ad hominem ſe mox contulit,
Ut tuta tignis nidum ſuſpendat ſuum:
Sed, quæ ſalubre monitum Aves deſpexerant,
De lino factis captæ pereunt retibus.

FABULA XIII.

Perdix & Vulpis.

RESEDIT alta quondam Perdix arbore,
Advenit Vulpis. Deinde ſic cœpit loqui:
O quanta vultus ſpecies eſt, Perdix, tui!
Coralla roſtrum, crura vincunt purpuræ
Fulgorem. At ſi dormires, quanto pulchrior
Eſſes! Ut ſtulta clauſit oculos, illico
Rapit credentem Vulpis. Illa fletibus
Hæc mixta gravibus verba ſupplex edidit:
Per o tuarum, Vulpis, artium decus,
Ut ante, quæſo, nomen proferas meum,
Sic devorabis. Vulpis, ubi voluit loqui,
Aperuit os: at Perdix evaſit necem.
Decepta Vulpis, Quid opus erat loqui mihi?
Reſpondit Perdix, Et dormire quid mihi
Erat neceſſe, ſomnus cui non venerat?
Hoc illis, qui loquuntur, ubi nil eſt opus,
Et qui, vigilare cum neceſſe, dormiunt.

FABULA XIV.

Aſellus, Bos & Volucres.

ASELLUS & Bos uno ſociati jugo.
Plauſtrum trahebant. Bos, dum tendit validius
Confregit cornu: Aſellus nil levaminis
Sentire jurat ſe a conſorte debili.
Laborem intendens, cornu rumpit alterum,
Terræque tandem Bos procumbit mortuus.
Aſinum bubulcus carne mox onerat bovis,
Qui plagas inter mille ruptus concidit,
Et exſpiravit, media collapſus via.
Ad prædam Volucres convolantes inquiunt:
Si te precanti mitem exhibuiſſes bovi,
Non immaturo paſceres nos funere.

FABULA XV.

Leo & Paſtor.

ERRANS in ſilva ſpinam calcavit Leo,
Mox ad Paſtorem cauda venit blandiens:
Ne perturberis, imploro ſupplex opem,
Non prædam quæro. Ponit in gremio pedem
Homo ſublatum, &, eximens ſpinam, gravi
Levat dolore. Redit hinc in ſilvas Leo.
Falſo poſt tempus accuſatus crimine

Paſtor damnatur, atque ludis proximis
Jejunis projici jubetur beſtiis.
Emiſſæ dum diſcurſitant paſſim feræ,
Agnovit hominem, qui medicinam fecerat,
Leo, & ſublatum rurſus in gremio pedem
Paſtori ponit. Rex, ut cognovit, ſtatim
Silvis leonem, & paſtorem reddit ſuis.

FABULA XVI.

Culex & Taurus.

CULEX cum Taurum provocaſſet viribus,
Cuncti venerunt populi, ut pugnam cernerent.
Culex tum, Satis eſt, quod veniſti cominus:
Nam parvus mihi, judicio ſum magnus tuo.
Hinc ſe per auras penna ſuſtulit levi,
Luſitque turbam, & Tauri deſtituit minas.
Quod ſi fuiſſet validæ cervicis memor,
Et Taurus hoſtem contemſiſſet ſordidum,
Fuiſſet vana inertis gloriatio.
AMITTIT famam, qui ſe indignis comparat.

FABULA XVII.

Equus & Aſinus.

ASELLO ſonipes phaleris occurrit tumens,
Et laſſus, multo tardius quod pondere
Viam dediſſet tranſeunti, Vix, ait,
Me teneo, quin te ſævis calcibus exteram.
Tacuit aſellus, gemitu teſtatus Deos:
Equus, currendo ruptus parvo in tempore,
Ad villam mittitur. Hunc onuſtum ſtercore
Ut vidit aſinus, tali deriſit joco:
Quo, glorioſe, phaleras has quondam tibi,
Modo ad deſpectam qui rediſti miſeriam?
Felix ne ſpernat, dubiæ ſortis immemor,
Humilem, cum quid futurus ipſe, neſciat.

FABULA XVIII.

Volucres, Quadrupedes, & Veſpertilio.

BELLUM gerebant volucres cum quadrupedibus,
Et vincebantur verſa victores vice.
At veſpertilio, dubios eventus timens,
Ad illos ſemper, quos ſuperaſſe viderat,
Se conferebat. In pacem cum priſtinam
Rediſſent, fraus utrique generi adparuit.
Damnatus ergo tam pudendo crimine,

Lucem refugiens, atris posthac condidit
Se tenebris, solus noctibus semper volans.
Qui se duabus venditabit partibus,
Utrisque ingratus vitam deget turpiter.

FABULA XIX.

Luscinius, Accipiter, & Auceps.

ACCIPITER in luscinii nido dum sedet,
Aurito insidians, illic pullos invenit.
Mater periclo mota prolis, advolat,
Supplexque, pullis ut parcat suis, rogat.
Accipiter, Quod vis, inquit, faciam, si bona
Cantabis voce carmen modulatum mihi.
At illa, quamvis excideret animus, tamen
Metu parebat, & coacta cantitat
Luctuque plena. Prædam qui captaverat,
Accipiter inquit, Non tu cantasti bene,
Et unum ex pullis apprehendit unguibus;
Cœpitque devorare. Ex diverso venit
Auceps, &, calamo clam crescente, perfidam
Visco contingit, atque in terram detrahit.
Quicunque fraudes alii tendit subdolas,
Timere debet, ne ipse capiatur dolo.

FABULA XX.

Lupus, Vulpis, & Paſtor.

LUPUS per tempus maximam congeſſerat
Prædam in cubile, haberet ut cibaria,
Queis plures poſſet menſes otio frui.
Vulpes ut novit, ad cubile abit lupi,
Et voce tremula, An recte, frater, omnia?
Quod te non vidi ſilvis venantem tuis,
Triſtem per omnes exegi vitam dies.
Lupus, livorem poſtquam agnovit æmulæ,
Non tu ſollicita huc cauſa veniſti mea,
Sed partem ut captes. Fraude quid petas, ſcio.
Irata vulpis ad ovium paſtorem adit,
Ageſne, paſtor, inquit, gratias mihi,
Inimicum ſi tradidero hodie gregis tui,
Ut nunquam ſis ſollicitus. Paſtor, Serviam
Tibi, inquit, tribuam &, quidquid volueris, lubens.
Cubile monſtrat illa paſtori lupi;
Qui clauſum protinus peremit lancea,
Et gaudens de alieno ſaturavit æmulam.
Ut vero vulpis in venantes incidit,
Deprenſa, canibus & laniata, ſic ait:
Dedi vix alteri malum, & jam punior.
Timere debet, quiſquis alii ſuſtinet
Nocere, pejus ipſi ne eveniat malum.

FABULA XXI.

Oves & Lupi.

OVES lupique cum certaſſent prœlio,
Illæ vicerunt, tutæ præſidio canum.
Lupi legatos mittunt, & fictam petunt
Hac lege pacem, ut dederent oves canes,
Et obſides luporum catulos reciperent.
Oves, æternam ſic ſperantes gratiam
Iniri, faciunt, quod popoſcerunt lupi.
Poſt paulo cum cœpiſſent ululare catuli,
Lupi, necari cauſantes natos ſuos,
Pacemque ruptam ab ovibus, undique impetu
Invadunt facto nudas defenſoribus:
Fidem quæ ſtultæ quod habuerant hoſtibus,
Conſilium ſera damnant pœnitentia.
Præſidium, quo quis olim tutus vixerat,
Si prodat aliis, fruſtra poſt deſiderat.

FABULA XXII.

Simius & Vulpis.

ROGABAT vulpem ſimius, caudæ ſuæ
De magnitudine aliquid ut ſibi daret,
Nates velare quo poſſet turpiſſimas.
Quid enim, inquit, cauda tantæ longitudinis

Prodeſt? quo tantum pondus per terram trahis?
Cui vulpis: Eſſet quamvis illa longior,
Majorque multo, mallem per terram ac lutum,
Spinaſque trahere, quam partem tibi dare,
Meo ne tegmine videaris pulchrior.
Avare, te fabella hæc, & locuples, monet,
Qui, quamvis ſupereſt, nil tamen das pauperi.

FABULA XXIII.

Lupus, Paſtor, & Venator.

Cum venatorem fugeret inſtantem lupus,
Et a paſtore viſus, qua parte fugeret,
Et quo ſe conderet loco, plenus metu
Omnes per, oro te, bubulce, ſpes tuas,
Ne prodas innocentem, cui nihil mali
Feciſſe me, per magnos adjuro Deos.
Noli timere, paſtor inquit, alteram
Monſtrabo partem. Mox venator advolans,
Non huc venire, paſtor, vidiſti lupum?
Qua parte fugit? cui paſtor, Venit quidem,
Sed læva fugit, voce dixit maxima;
At oculis clam deſignat partem dexteram.
Non intellexit ille, & feſtinans abit.
Lupo tunc paſtor: Quas habebis gratias,
Quod te celarim? Maximas linguæ tuæ,
Lupus, ago, dixit, at oculis fallacibus
Æternæ cæcitatem noctis imprecor.

Qui verbis blandus, fraudem celat pectore,
Hoc argumento se describi intelligat.

FABULA XXIV.

Homines duo, Fallax, Verax, & Simii.

AGENTES mendax & simul verax iter,
In simiorum forte terram venerant.
E turba ut vidit unus, qui se fecerat
Regem, teneri jussit illos, sciret ut,
De se quid homines dicerent: simul jubet
Omnes adstare simios longo ordine,
Dextra lævaque; sed sibi poni thronum,
Ut hominum reges quondam facere viderat.
Mox jussos homines in medium adducit, rogat,
Qualisnam vobis esse videor, hospites?
Respondit mendax, Rex videris maximus.
Quid hi, quos apparere nunc vides mihi?
Hi comites, hi legati, & militum duces.
Mendacio laudatus cum turba sua
Adulatori munus imperat dari.
Hic secum verax, tanta si mendacio
Sit merces, quanto non ego, dixit, munere
Donabor, verum si pro more dixero,
Hinc ad veracem simius: Et qualis tibi
Videor, & illi, quos stare ante me vides?
Respondit ille: Verus es tu simius,
Et simii omnes illi, qui similes tui.

Iratus illum dentibus rex imperat
Lacerari & unguibus, quod vera dixerat.
Blandum laudatur a malis mendacium;
Bonis honesta fert exitium veritas.

FABULA XXV.

Homo & Leo.

Homo certabat cum leone, fortior
Quis esset, litisque hujus testimonium
Dum quærunt, ad sepulcrum tandem venerunt.
Elisis in quo ab homine pictum faucibus
Leonem ostendit, argumentum virium,
Leo respondit: Humana hoc pictum manu.
Videres hominem dejectum, si pingere
Leones scirent. Sed ego testimonium
Dabo virtutis certius. Ad spectaculum
Induxit hominem; monstrans ubi bona fide
Enectos a leonibus homines, ait,
Non est colorum testimoniis opus,
Hic exhibetur vera virtus actibus.
Colere frustra mendaces uti docet
Fabella, certa cum datur probatio.

FABULA XXVI.

Ciconia, Anſer, & Accipiter.

VENISSET notum ad ſtagnum cum ciconia,
Mergentem invenit ſe frequenter anſerem
Sub undis; quærit, cur hoc faceret. Ille ait,
Hæc nobis conſuetudo eſt, & in luto
Reperimus eſcam, & accipitris ſimul impetum
Venientis ad nos tuti ſic evadimus.
Sum multo accipitre fortior, ciconia
Inquit: amicitiam ſi vis mecum jungere,
Illi inſultare victor poteris. Credulus
Et protinus auxilium petens anſer, ſimul
In agrum prodit; illico ſupervenit
Accipiter, & comprenſum ſævis unguibus
Fugiente devorat anſerem ciconia.
Cui anſer: Qui patrono ſe tam debili
Credit, pejore finiri debet nece.

FABULA XXVII.

Ovis & Cornix.

IN tergo cornix otioſa conſidens
Ovis, tundebat illud roſtro: cum diu
Feciſſet, inquit patiens ovis injuriæ,
Hanc ſi feciſſes contumeliam cani,

Ejus latratum haud ferres. Ad cornix ovi,
Collo tam forti nunquam ſedeo, nam ſcio
Quos debeam laceſſere, annis callida;
Acribus amica, at importuna inermibus.
Sic me creatum Dî voluerunt vivere.
His, qui laceſſunt innocentes infimi,
Vexare fortes metuunt, ſcripta eſt fabula.

FABULA XXVIII.

Formica & Cicada.

HIEMIS formica grana tempore e cavo
Trahens ſiccabat, quæ prudens collegerat
Æſtate. Eſuriens hanc, ut aliquid ſibi daret,
Rogat cicada. Cui formica, Æſtate quid
Agebas? inquit. Illa: Non erat otium,
Ut de futuro cogitarem tempore,
Errabam cantans per ſepes & paſcua.
Ridens formica, & grana referens, ſic ait:
Æſtate quæ cantaſti, age, ſalta frigore.
Piger laboret certo ſemper tempore,
Ne, cum nil habeat, poſcens accipiat nihil.

FABULA XXIX.

Equus & Asinus.

EQUUM rogabat asinus paululum hordei.
Libenter, ait, &, si supereſſet, largiter
Pro dignitate noſtra tribuerem tibi:
Simul ſed noſtra veſpere ad præſepia
Venero, mox plenum farre ſacculum dabo.
Aſellus inquit: Nunc qui rem parvam negas,
Quid in majore te facturum exiſtimem?
Qui, magna cum promittunt, parva denegant,
In dando ſe tenaciores indicant.

FABULA XXX.

Leo ſenex & Vulpis.

DEFECTUS annis languorem finxit leo.
Ægrotum ad regem viſitandum beſtiæ
Plures venerunt; devorat quas protinus.
Sed cauta vulpis ante ſpeluncam procul
Stabat ſalutans regem. Quam rogat leo,
Cur non intraret: Video quod veſtigia
Intrantium multa, nulla exeuntium.
Cautis prodeſſe pericula aliorum ſolent.

FABULA XXXI.

Pulex & Camelus.

PULEX cameli dorſo forte conſidens,
Gravatus multis qui incedebat ſarcinis,
Sibi placebat, longe viſus altior.
Iter cum longum facerent; veſpera ſimul
Ad ſtabulum venerunt, pulex leviter ſtatim
At terram ſaliens, Ecce, dixit, ocius
Deſcendo, attritum ne gravem diutius.
At ille, Gratum eſt, inquit, ſed nec pondere,
Te impoſito, me gravari ſentire potui,
Nec, te dejecto, habere quid levaminis.
Qui ſe ſublimi, nullo cum ſit ordine,
Jactat, notatus in deſpectum devenit.

FABULA XXXII.

Hœdus & Lupus.

CAPELLA, fetum ut cuſtodiret, exiens
Paſtum, imprudentem monuit hœdum, ne oſtium
Aperiret, multas quod ſciret ſtabula feras
Circuire pecorum. Ut abiit, advenit lupus,
Adſimulans vocem matris, & jubet fores
Sibi reſerari. Ut hœdus audivit, lupo
Per rimam ſpectans inquit, Audio ſonum

Matris, ſed fallax atque inimicus es mihi;
Sub voce matris noſtrum quæris ſanguinem
Potare, & noſtra carne ſatiari. Vale.
Laus magna natis, obſequi parentibus.

FABULA XXXIII.

Pauper & Serpens.

SERPENS in ædibus cujusdam pauperis
Venire ſemper ad menſam conſueverat,
Et inde micis paſcebatur largiter.
Dives poſt paulo factus, iraſci incipit
Serpenti, & vulnerat ſecure: tempore
Ad priſtinam interpoſito egeſtatem redit.
Pro ſorte varia ſerpentis poſtquam videt
Fortunam mutari ſuam, blande petit,
Ignoſcat ut peccanti: cui ſerpens ait,
Te pœnitebit ſceleris, uſque dum mea
Cicatrix clauſa fuerit; at tamen optima
Fide me poſthac noli amicum credere.
Redire tamen hac lege in gratiam volo,
Securis nunquam perfidæ ſi meminerim.
Suſpectus eſſe debet, qui læſit ſemel,
Et caute ſemper integranda gratia.

FABULA XXXIV.

Aquila & Milvius.

In ramo triſtis ſederat cum milvio
Aquila. Quid vultu te tam mœſto, milvius,
Conſpicio? Quæro, dixit illa, conjugem
Parem, nec invenire poſſum. Me accipe,
Te multo qui ſum fortior. Quid? an potes
Ex rapto victum quærere? unguibus meis
Struthiocamelum rapui prenſum ſæpius.
Inducta verbis aquila conjugem capit.
Parvo poſt nuptias tranſacto tempore
Aquila, Abi, & prædam promiſſam mihi rape.
Volans in altum, ſoricem immundiſſimum
Et longo milvius adfert putridum ſitu.
Hæcne eſt polliciti, aquila dixit, fides tui?
Cui milvius: Ego, ut pervenirem nuptias
Ad regias, nihil non poſſe me, fidem
Dediſſem, quamvis me nequire noverim.
Qui ſe majores cupidi quærunt conjuges,
Dolent decepti ſe poſt junctos vilibus.

10242404

10242404

PUBLII SYRI MIMI.

10242404

P. SYRI MIMI
ET ALIORUM VETERUM
SENTENTIÆ.

A MORTE ſemper homines tantundem abſumus.
Ab alio exſpectes, alteri quod feceris.
Ab amante lacrimis redimas iracundiam.
Abſentem lædit, cum ebrio qui litigat,
Ad calamitatem quilibet rumor valet.
Ad pœnitendum properat, cito qui judicat.
Ad triſtem partem ſtrenua eſt ſuſpicio.
Adulter eſt uxoris amator acrior.
Æs debitorem, leve; grave, inimicum facit.
Ætas cinædum celat, ætas indicat.
Alienum nobis, noſtrum plus aliis placet.
Alienum æs homini ingenuo acerba ſervitus.
Alienum eſt omne, quidquid optando evenit.
Alterius damnum, gaudium haud facias tuum.
Amans iratus multa mentitur ſibi.
Amans quid cupiat, ſcit: quid ſapiat, non videt.
Amans quod ſuſpicatur, vigilans ſomnit.
Amans ita, ut fax, agitando ardeſcit magis.
Amare & ſapere, vix Deo conceditur.

Amare juveni fructus eſt, crimen ſeni.
Amantis jusjurandum pœnam non habet.
Amantium ira, amoris integratio eſt.
Ames parentem, ſi æquus eſt; ſi aliter, feras.
Amicis eo magis des, quo nihil habes.
Amicitia pares aut accipit, aut facit.
Amicitia ſemper prodeſt, amor & nocet.
Amicitiæ coagulum unicum eſt fides.
Amici vitia niſi feras, facis tua.
Amici vitia ſi feras, facis tua.
Amici vitia noveris, non oderis.
Amicum, an nomen habeas, aperit calamitas.
Amicum lædere, ne joco quidem licet.
Amicum perdere, eſt damnorum maximum.
Amor extorqueri non pote, elabi pote.
Amori finem tempus, non animus facit.
Amoris vulnus idem, qui ſanat, facit.
Amor miſceri cum timore non poteſt.
Amor otioſæ cauſa ſollicitudinis.
Amor, ut lacrima, oculis oritur, in pectus cadit.
Anguſta capitur tutior menſa cibus.
Animi arbitrio amor ſumitur, non ponitur.
Animo dolenti nihil oportet credere.
Animo imperabit ſapiens, ſtultus ſerviet.
Animo virum pudicæ, non oculo eligunt.
Animus æger turbæ præbet ſpectaculum.
Animus, vereri qui ſcit, ſcit tuta ingredi.
Animus hominis quidquid ſibi imperat, obtinet.
Annoſus non diu vixit; diu fuit.
Anus, cum ludit, morti delicias facit.

Aperte mala cum eſt mulier, tum demum eſt bona.
Arcum intenſio frangit, animum remiſſio.
Ars non ea eſt, quæ ad effectum caſu venit.
Aſpicere oportet, quidquid nolis perdere.
Avaro quid mali optes, niſi ut vivat diu?
Avarum facile capias, ubi non ſis idem.
Avarum irritat, non ſatiat pecunia.
Avarus damno potius, quam ſapiens dolet.
Avarus ipſe miſeriæ cauſa eſt ſuæ.
Avarus, niſi cum moritur, nil recte facit.
Audendo virtus creſcit, tardando timor.
Auferri & illud, quod dari potuit, poteſt.
Avidum eſſe oportet neminem, minime ſenem.
Aut amat, aut odit mulier: nihil eſt tertium.
Auxilia humilia, firma conſenſus facit.

BENE vulgo audire, eſt alterum patrimonium.
Bene cogitata ſi excidunt, non occidunt.
Bene dormit, qui non ſentit, quam male dormiat.
Beneficia donari, aut mali, aut ſtulti putant.
Beneficia plura recipit, qui ſcit reddere.
Beneficii nunquam, cito dati obliviſcere.
Beneficium accipere, libertatem vendere eſt.
Beneficium dando accepit, qui digno dedit.
Beneficium dignis ubi des, omnes obliges.
Beneficium qui dare neſcit, injuſte petit.
Beneficium qui dediſſe ſe dicit, petit.
Beneficium ſæpe dare, docere eſt reddere.
Bene perdis gaudium, ubi dolor pariter perit.

Bene perdit nummos, judici cum dat nocens.
Bene vixit is, qui potuit, cum voluit, mori.
Benevolus animus, maxima eſt cognatio.
Benignus etiam dandi cauſam cogitat.
Bis emori eſt, alterius arbitrio emori.
Bis eſt gratum, quod opus eſt, ultro ſi offeras.
Bis interimitur, qui ſuis armis perit.
Bis peccas, cum peccanti obſequium accommodas.
Bis vincit, qui ſe vincit in victoria.
Blanditia, non imperio fit dulcis Venus.
Bona comparat præſidia miſericordia.
Bona fama in tenebris proprium ſplendorem obtinet.
Bona, imperante animo, fiet pecunia.
Bona homini mors eſt, vitæ quæ exſtinguit mala.
Bona homini mors eſt, animi quæ exſtinguit mala.
Bona nemini hora eſt, ut non alicui ſit mala.
Bona opinio hominum tutior pecunia eſt.
Bona quæ veniunt, niſi ſuſtineantur, opprimunt.
Bonarum rerum conſuetudo peſſima eſt.
Bona turpitudo eſt, quæ periculum vindicat.
Boni eſt viri, etiam in morte nullum fallere.
Bonis nocet, quiſquis pepercerit malis.
Bonitatis verba imitari, malitia major eſt.
Bono juſtitiæ proxima eſt ſeveritas.
Bonorum crimen eſt officioſus miſer.
Bonum ad virum cito moritur iracundia.
Bonum eſt, fugienda aſpicere in alieno malo.
Bonum eſt, etiam bona verba inimicis reddere.
Bonum quidem ſupprimitur, nequam exſtinguitur.
Bonus animus læſus, gravius multo iraſcitur.

Bonus animus nunquam erranti obſequium accommodat.

Brevis mens ipſa eſt memoria iracundiæ.

Brevis ipſa vita eſt, ſed malis fit longior.

CAECI ſunt oculi, cum animus alias res agit.

Caret periculo, qui etiam, cum eſt tutus, cavet.

Caſta ad virum matrona parendo imperat.

Caſus quem ſæpe tranſit, aliquando invenit.

Cave amicum credas, niſi quem probaveris.

Cavendi nulla eſt dimittenda occaſio.

Cave ne quidquam incipias, quod poſt pœniteat.

Cicatrix conſcientiæ pro vulnere eſt.

Citius venit periculum, cum contemnitur.

Cito ignominia fit ſuperbi gloria.

Cito improborum læta ad perniciem cadunt.

Civilis belli oblivio, defenſio eſt.

Cogas amantem iraſci, amare ſi velis.

Comes facundus in via pro vehiculo eſt.

Conjunctio animi maxima eſt cognatio.

Conſcientiæ potius quam famæ attenderis.

Conſidera, quid dicas, non quid cogites.

Conſilium inveniunt multi, ſed docti explicant.

Conſilio melius vincas, quam iracundia.

Conſueta vitia ferimus, non reprehendimus.

Contemni gravius ſapientiæ eſt, quam percuti.

Contemni levius ſtultitiæ eſt, quam percuti.

Contra felicem vix Deus vires habet.

Contra impudentem ſtulta eſt nimia ingenuitas.

Crimen relinquid vitæ, qui mortem appetit.

Crudelem medicum intemperans æger facit.
Crudelis eſt, non fortis, qui infantem necat.
Crudelis eſt in re adverſa objurgatio.
Crudelis lacrimis paſcitur, non frangitur.
Cui nolis ſæpe iraſci, iraſcaris ſemel.
Cui omnes bene dicunt, poſſidet populi bona.
Cui plus licet, quam par eſt, plus vult, quam licet.
Cui ſemper dederis, ubi negas, rapere imperas.
Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.
Cuivis dolori remedium eſt patientia.
Cum ames, non ſapias; aut cum ſapias, non ames.
Cum das avaro præmium, ut noceat, rogas.
Cum inimico nemo in gratiam tuto redit.
Cum vitia proſunt, peccat qui recte facit.

DAMNARE eſt objurgare, cum auxilio eſt opus.
Damnati lingua vocem habet, vim non habet.
Damnum appellandum eſt cum mala fama lucrum.
Damnum, niſi ex abundantia, raro venit.
Dari bonum, quod potuit, auferri poteſt.
Didicere flere feminæ in mendacium.
De inimico ne loquaris male, ſed cogites.
Deliberando diſcitur ſapientia.
Deliberando ſæpe perit occaſio.
Deliberandum eſt diu, quod ſtatuendum eſt ſemel.
Deliberare utilia, mora tutiſſima eſt.
Demens eſt, quiſquis præſtat errori fidem.
Deos ridere credo, cum felix vocat.
Deſpicere oportet, quod poſſis deperdere.

Dies quod donat, timeas; cito raptum venit.
Dives quod donat, timeas; cito raptum venit.
Difficilem habere oportet aurem ad crimina.
Dimiſſum quod neſcitur, non amittitur.
Diſcipulus eſt prioris poſterior dies.
Diſcordia fit carior concordia.
Diſcute quod audias omne, quod credas proba.
Diu apparandum eſt bellum, ut vincas celerius.
Dolor animi gravior eſt, quam corporis dolor.
Dolor decreſcit, ubi, quo creſcat, non habet.
Ducis in conſilio poſita eſt virtus militum.
Dulce etiam fugias, quod fieri amarum poteſt.
Dum vita grata eſt, mortis conditio optima eſt.

EFFUGERE cupiditatem, regnum eſt vincere.
Eget minus mortalis, quo minus cupit.
Eheu quam miſerum eſt, fieri metuendo ſenem.
Eodem animo beneficium debetur, quo datur.
Eripere telum, non dare irato, decet.
Eſt cupiditati & ipſa tarda celeritas.
Eſt ſocia mortis homini vita ingloria.
Eſt turba ſemper argumentum peſſimi.
Et calamitas virtutis eſt occaſio.
Et deeſt & ſuperat miſeris cogitatio.
Etiam bonum ſæpius obeſt adſueſcere.
Etiam capillus unus habet umbram ſuam.
Etiam celeritas in deſiderio mora eſt.
Etiam hoſti eſt æquus, qui habet in conſilio fidem,
Etiam innocentes cogit mentiri dolor.

Etiam in peccato recte præſtatur fides.
Etiam obliviſci, qui ſis, interdum expedit.
Etiam obliviſci, quod ſcis, interdum expedit.
Etiam qui faciunt, oderunt injuriam.
Etiam ſanato vulnere cicatrix manet.
Etiam tyrannus vix precario imperat.
Et miſeriarum portus eſt patientia.
Excelſis multo facilius caſus nocet.
Exeritur opere nequitia, non incipit.
Ex hominum quæſtu facta Fortuna eſt dea.
Exilium patitur, patriæ qui ſe denegat.
Ex lite multa gratia fit formoſior.
Ex præmii ſpe laboris fit ſolatium.
Extrema ſemper de antefactis judicant.
Ex vitio alterius ſapiens emendat ſuum.

FACILITAS animi ad partem ſtultitiæ rapit.
Facilius creſcit, quam inchoatur dignitas.
Facit gradum Fortuna, quem nemo videt.
Factum tacendo, crimen facias acrius.
Falſum maledictum, malevolum mendacium eſt.
Famam curant multi, pauci conſcientiam.
Fatetur facinus is, qui judicium fugit.
Felicitas nutrix eſt iracundiæ.
Felicitas infelici innocentia eſt.
Felix improbitas optimorum eſt calamitas.
Fer difficilia, facilia levius perferes.
Feras, non culpes, quod mutari non poteſt.
Feras, quod lædit, ut & id, quod prodeſt, feras.

Ficta cito ad naturam reciderint ſuam.
Fidem nemo unquam perdit, niſi qui non habet.
Fidem qui perdit, perdere ultra nil poteſt.
Fidem qui perdit, quo ſe ſervat reliquo?
Fides, ut anima, unde abiit, eo nunquam redit.
Formoſa facies, muta commendatio eſt.
Fortuna cum blanditur, captatum venit.
Fortuna plus homini quam conſilium valet.
Fortuna jus in hominis mores non habet.
Fortuna magna, magna domino eſt ſervitus.
Fortuna nulli plus quam conſilium valet.
Fortunam citius reperias, quam retineas.
Fortuna nimium quem fovet, ſtultum facit.
Fortuna nos vincit, niſi tota vincitur.
Fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel.
Fortuna quo ſe, eodem & inclinat favor.
Fortuna vitrea eſt; tum, cum ſplendet, frangitur.
Fortuna unde aliquid fregit, caſſum penitus eſt.
Fortuna uſu dat multa, mancipio nihil.
Fraus eſt accipere, quod non poſſis reddere.
Frequens vindicta, paucorum odium reprimit.
Frugalitas inſerta eſt rumoris boni.
Fruſtra rogatur, qui miſereri non poteſt.
Furor fit læſa ſæpius patientia.
Futura pugnant, ne ſe ſuperari ſinant.

GEMINAT peccatum, quem delicti non pudet.
Gemitus dolores indicat, non vindicat.
Grave crimen, etiam cum leviter dictum eſt, nocet.

Grave judicium eſt, quod præjudicium non habet.
Grave præjudicium eſt, quod judicium non habet.
Gravis animi pœna eſt, quem poſt facti pœnitet.
Gravis animus dubiam non habet ſententiam.
Gravior eſt inimicus, qui latet in pectore.
Graviora quædam ſunt remedia periculis.
Graviſſima eſt probi hominis iracundia.
Graviſſimum eſt imperium conſuetudinis.
Gravius malum omne eſt, quod ſub aſpectu latet.
Gravius nocet, quodcunque inexpertum accidit.

HABENT locum maledicti crebræ nuptiæ.
Habet ſuum venenum blanda oratio.
Heredem ferre honeſtius eſt, quam quærere.
Heredis fletus ſub perſona riſus eſt.
Heu quam conſcientia animi gravis eſt ſervitus!
Heu quam miſer eſt, qui in tormento vocem haud habet!
Heu quam difficilis gloriæ cuſtodia eſt!
Heu quam eſt timendus, qui mori tutum putat!
Hominem etiam frugi flectit ſæpe occaſio.
Hominem experiri multa, paupertas jubet.
Homini conſilium tunc deeſt, cum multa invenit.
Homo extra corpus eſt ſuum, cum iraſcitur.
Homo ne ſit ſine dolore, fortunam invenit.
Homo ſemper in os fert aliud, aliud cogitat.
Homo toties moritur, quoties amittit ſuos.
Homo vitæ commodatus, non donatus eſt.
Honeſta lex eſt temporis neceſſitas.
Honeſte parcas improbo, ut parcas probo.

Honeſte ſervit, qui ſuccumbit tempori.
Honeſtus rumor alterum eſt patrimonium.
Honos honeſtum decorat, inhoneſtum notat.
Humanitatis optima eſt certatio.

JACET omnis virtus, fama niſi late patet.
Ibi ſemper eſt victoria, ubi concordia eſt.
Ibi pote valere populus, ubi leges valent.
Id agas, tuo te merito ne quis oderit.
Ignis ſuum calorem etiam in ferro tenet.
Ignis probat aurum, miſeriæ fortem probant.
Ignoſcere hominum eſt, ubi pudet, cui ignoſcitur.
Ignoſcere hominum eſt, niſi pudet, cui ignoſcitur.
Ignoſcito ſæpe alteri, nunquam tibi.
Illo nocens ſe damnat, quo peccat die.
Imperium habere vis magnum? impera tibi.
Imprudens peccat, quem poſt facti pœnitet.
Impune in eum pecces, qui peccat rarior.
In amore ſemper mendax iracundia eſt.
In amore forma plus valet, quam auctoritas.
In amore ſemper cauſa damni quæritur.
In calamitoſo riſus, etiam injuria eſt.
Incertus animus remedium eſt ſapientiæ.
Inertia judicatur, cum fugitur labor.
Inertia eſt laboris excuſatio.
Infelici innocentia eſt felicitas.
Inferior reſcit, quidquid peccat ſuperior.
Infirmi animi eſt, non poſſe divitias pati.
Ingenuitas non recipit contumeliam.

Ingenuitatem lædis, cum indignum rogas.
Ingenuus animus non fert vocis verbera.
Ingrata ſunt beneficia, queis comes metus.
Ingratus unus omnibus miſeris nocet.
Inimici ad animum nullæ conveniunt preces.
Inimico exſtincto, exitium lacrimæ non habent.
Inimicum, quamvis humilem, docti metuere eſt.
Inimicum ulciſci, vitam accipere eſt alteram.
In judicando criminoſa eſt celeritas.
Injuriam aures quam oculi facilius ferunt.
Injuriam facilius facias, quam feras.
Injuriam ipſe facias, ubi non vindicas.
Injuriarum remedium eſt oblivio.
In miſeri vitia nulla contumelia eſt.
In miſero facile fit potens injuria.
In nullum avarus bonus eſt; in ſe peſſimus.
Inopiæ deſunt pauca, avaritiæ omnia.
Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.
In rebus dubiis plurima eſt audacia.
Inſanus omnis furere credit ceteros.
Inſtructa inopia eſt in divitiis cupiditas.
Intellige ecquæ ſint, ut & bene agas, bona.
In turpi re peccare, bis delinquere eſt.
In Venere ſemper certat dolor & gaudium.
In Venere ſemper dulcis eſt dementia.
Invidia loquitur id, quod obeſt, non quod ſubeſt.
Invidiam ferre aut fortis aut felix poteſt.
Invidia tacite, ſed inimice iraſcitur.
Invitat culpam, qui delictum præterit.
Invitum cum retineas, exire incitas.

Iratum breviter vites, inimicum diu.
Iratus cum ad ſe redit, ſibi tum iraſcitur.
Iratus etiam facinus conſilium putat.
Iratus nil non criminis loquitur loco.
Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.
Ita crede amico, ne ſit inimico locus.
Ita amicum habeas, poſſe inimicum fieri, ut putes.
Iter eſt, quacunque dat prior veſtigium.
Jucunda macula eſt ex inimici ſanguine.
Jucundum nihil eſt, niſi quod reficit varietas.
Judex damnatur, cum nocens abſolvitur.
Jus omne ſupra omnem poſitum eſt injuriam.

LAESO doloris remedium, inimici dolor.
Lapſus ſemel, fit culpa, ſi iterum cecideris.
Laſcivia & laus nunquam habent concordiam.
Late lucere ignis, ut nihil urat, poteſt.
Laus nova niſi oritur, etiam vetus amittitur.
Legem nocens veretur, Fortunam innocens.
Legem ſolet oblivi ſcier iracundia.
Levis eſt Fortuna; cito repoſcit, quod dedit.
Lex videt iratum, iratus legem non videt.
Lex univerſi eſt, quæ jubet naſci & mori.
Libido cunctos etiam ſub vultu domat.
Libido, non judicium eſt, quod levitas ſapit.
Licentiam des linguæ, cum verum petas.
Locis remotis qui latet, lex eſt ſibi.
Loco ignominiæ eſt apud indignum dignitas.
Longinquum eſt omne, quod cupiditas flagitat.

Lucrum ſine damno alterius fieri non poteſt.
Luxuriæ deſunt multa, avaritiæ omnia.

MAGE fidus heres naſcitur, quam ſcribitur,
Mage valet qui neſcit, calamitas quid valet.
Magnam fortunam magnus etiam animus decet.
Magnanimo injuriæ remedium oblivio eſt.
Magnum crimen ſecum adfert indignatio.
Mala cauſa eſt, quæ requirit miſericordiam.
Malæ naturæ nunquam doctore indigent.
Mala eſt medicina, ubi aliquid naturæ perit.
Mala eſt voluptas ad alienum conſueſcere.
Mala mors neceſſitatis contumelia eſt.
Malam rem cum velis, honeſtatem improbes.
Maledictum interpretando facias acrius.
Male facere qui vult, nunquam non cauſam invenit.
Male facere qui vult, nuſquam non cauſam invenit.
Male geritur, quidquid geritur Fortunæ fide.
Male imperando ſummum imperium amittitur.
Male ſecum agit æger, medicum qui heredem facit.
Male vincit is, quem pœnitet victoriæ.
Male vivet, quiſquis neſciet mori bene.
Male vivunt, qui ſe ſemper victuros putant.
Malevolus animus abditos dentes habet.
Malevolus ſemper ſua natura veſcitur.
Malignos fieri maxime ingrati docent.
Malitia unius cito fit maledictum omnium.
Malitia, ut pejor veniat, ſe ſimulat bonam.
Malo in conſilio feminæ vincunt viros.
Malo etiam parcas, ſi una eſt periturus bonus.

Malum alienum ne feceris tuum gaudium.
Malum conſilium conſultori peſſimum eſt.
Malum eſt conſilium, quod mutari non poteſt.
Malus animus in ſecreto pejus cogitat.
Malus bonum ad ſe nunquam conſilium refert.
Malus bonum ubi ſe ſimulat, tunc eſt peſſimus.
Malus eſt vocandus, qui ſua cauſa eſt bonus.
Malus etſi obeſſe non pote, tamen cogitat.
Malus quicunque in pœna eſt, præſidium eſt bonis.
Manifeſta cauſa ſecum habet ſententiam.
Manſueta tutiora ſunt; ſed ſerviunt.
Medicina calamitatis eſt æquanimitas.
Medicina ſola miſeriarum oblivio.
Meretrix eſt inſtrumentum contumeliæ.
Metuendum ſemper eſt ei, quod tutum velis.
Metum reſpicere non ſolet, quidquid juvat.
Metus improbos compeſcit, non clementia.
Metus cum venit, rarum habet ſomnus locum.
Minimum eripit Fortuna, cum minimum dedit.
Minus decipitur, cui negatur celeriter.
Minus eſt quam ſervus, dominus, qui ſervos timet.
Minus ſæpe pecces, ſi ſcias, quid neſcias.
Miſera eſt voluptas, ubi pericli memoria eſt.
Miſer dici bonus vir, eſſe non poteſt.
Miſeri eſt neſcire, ſine periculo vivere.
Miſeriam neſcire, ſine periclo eſt vivere.
Miſericors civis, patriæ eſt conſolatio.
Miſerrima eſt fortuna, quæ inimicos latet.
Miſerrima eſt fortuna, quæ inimico caret.
Miſerrimum eſt arbitrio alterius vivere.

Miſerum eſt, tacere cogi, quod cupias loqui.
Miſerum te judico, quod nunquam fueris miſer.
Mora cogitationis diligentia eſt.
Mora omnis odio eſt, ſed facit ſapientiam.
Mori eſt felicis, antequam mortem invocet.
Mori neceſſe eſt, ſed non quoties volueris.
Mortem timere, crudelius eſt quam mori.
Mortem ubi contemnas, omnes viceris metus.
Muliebris lacrima, condimentum malitiæ eſt.
Mulier cum ſola cogitat, male cogitat.
Mulier quæ multis nubit, multis non placet.
Multa ignoſcendo fit potens potentior.
Multis minatur, qui uni facit, injuriam.
Multis placere quæ cupit, culpam cupit.
Multorum calamitate vir moritur bonus.
Multa ante tempus, quam virum invenias bonum.
Multos timere debet, quem multi timent.
Muneribus, non lacrimis, meretrix eſt miſericors.
Mutat ſe bonitas, irritata injuria.

NATURAM abſcondit, cum recte improbus facit.
Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.
Neceſſitas ab homine, quæ vult, impetrat.
Neceſſitas dat legem, non ipſa accipit.
Neceſſitas egentem mendacem facit.
Neceſſitas quam pertinax regnum tenet!
Neceſſitas quod celat, fruſtra quæritur.
Neceſſitas quod poſcit, niſi das, eripit.
Neceſſitatem ferre, non flere addecet.

Neceſſitati quodlibet telum utile eſt.
Neceſſitati ſapiens nihil unquam negat.
Neceſſitatis remedium eſt parcitas.
Nec mortem effugere quiſquam, nec amorem poteſt.
Nec vita, nec fortuna hominibus perpes eſt.
Negandi cauſa avaro nunquam deficit.
Negata eſt magnis ſceleribus ſemper fides.
Negat ſibi ipſe, qui, quod difficile eſt, petit.
Nemo, qui cœpit ex ſe, riſum præbuit.
Nemo immature moritur, qui moritur miſer.
Nemo ita pauper vivit, quam pauper natus eſt.
Nemo timendo ad ſummum pervenit locum.
Nequitia pœna maxima ipſamet ſui eſt.
Neſcio, quid cogitat, cum bonum imitatur malus.
Nil agere, ſemper infelici eſt optimum.
Nil aliud ſcit neceſſitas, quam vincere.
Nil eripit Fortuna, niſi quod & dedit.
Nil eſt miſerius, quam ubi pudet, quod feceris.
Nil magis amat cupiditas, quam quod non licet.
Nil non acerbum prius, quam maturum fuit.
Nil non aut lenit, aut domat diuturnitas.
Nil peccent oculi, ſi oculis animus imperet.
Nil poſſe quenquam, mortuum hoc eſt vivere.
Nil proprium ducas, quod mutari poteſt.
Nil turpe ducas pro ſalutis remedio.
Nil turpius, quam vivere incipiens ſenex.
Nimium altercando veritas amittitur.
Nimium eſt in morte boni, ſi nil ineſt mali.
Niſi per te ſapias, fruſtra ſapientem audias.
Niſi qui ſcit facere inſidias, neſcit metuere.

Niſi vindices delicta, improbitatem adjuves.
Nocens precatur, innocens iraſcitur.
Nocentem qui defendit, ſibi crimen parit.
Nocere caſus non ſolet conſtantiæ.
Nocere poſſe & nolle, laus ampliſſima eſt.
Noli contemnere ea, quæ ſummos ſublevant.
Non cito ruina perit is, qui rimam timet.
Non corrigit, ſed lædit, qui invitum regit.
Non eſt bonitas, eſſe meliorem peſſimo.
Non eſt puſillum, ſi quid maximo eſt minus.
Non eſt cicatrix turpis, quam virtus parit.
Non eſt tuum, Fortuna quod fecit tuum.
Non facile de innocente crimen fingitur.
Non facile ſolus ſerves, quod multis placet.
Non novit virtus calamitati cedere.
Non pote non ſapere, qui ſe ſtultum intelligit.
Non quam multis placeas, ſed qualibus, ſtude.
Non ſemper aurem facilem habet felicitas.
Non vincitur, ſed vincit, qui cedit ſuis.
Nulla hominum major pœna eſt, quam infelicitas.
Nulli facilius, quam malo invenies parem.
Nulli imponas, quod ipſe ferre non queas.
Nullo in loco male audit miſericordia.
Nullum ſine teſte putaveris ſuo locum.
Nullum ſine auctoramento eſt magnum malum.
Nullus ſapientum proditori credidit.
Nunquam facilius culpa, quam in turba latet.
Nunquam non miſer eſt, qui quod timeat, cogitat.
Nunquam periculum ſine periclo vincitur.
Nunquam ſatis eſt, quod improbæ ſpei datur.

Nunquam ſecura eſt prava conſcientia.
Nunquam ubi diu fuit ignis, deficit vapor.

OBSEQUIUM nuptæ cito fit odium pellicis.
Occaſio ægre offertur, facile amittitur.
Occaſio receptus difficiles habet.
Occidi pulchrum, ubi cum ignominia ſervias.
Odia alia ſub vultu, alia ſub oſculo latent.
Officium benevoli animi finem non habet.
Omnes æquo animo parent, digni ubi imperant.
Omne vitium ſemper habet patrocinium ſuum.
Omnis dies velut ultimus ordinandus eſt.
Omnis voluptas, quemcunque arriſit, nocet.
O peſſimum periculum, quod opertum latet!
O tacitum tormentum animi conſcientia!
O vita miſero longa, felici brevis!

PARATAE lacrimæ inſidias, non fletum indicant.
Parens iratus in ſe eſt crudeliſſimus.
Parere ſcire, par imperio gloria eſt.
Pars beneficii eſt, quod petitur, ſi belle neges.
Pars beneficii eſt, quod petitur, ſi cito neges.
Parvo fames conſtat, magno faſtidium.
Patiendo multa veniunt, quæ nequeas pati.
Patiens & fortis ſe ipſum felicem facit.
Patiens in adverſis nunquam eſt felicitas.
Patientia, animi divitias occultas habet.
Patria tua eſt, ubicunque vixeris bene.
Paucorum eſt intelligere, quid cui det Deus.

Paucorum improbitas, universis calamitas.
Peccare pauci nolunt, nulli nesciunt.
Peccatum amici, velut tuum, recte putes.
Peccatum extenuat, qui celeriter corrigit.
Pecuniæ oportet imperes, non servias.
Pecunia una regimen rerum est omnium.
Pejora multa cogitat mutus dolor.
Perdendi finem nemo, nisi egestas, facit.
Perdit, non donat, qui donat, nisi est memor.
Perenne conjugium animus, non corpus facit.
Pereundi scire tempus, assidue est mori.
Perfacile felix, quod vota impetrant, facit.
Perfugere ad inferiorem, se ipsum est tradere.
Pericula, qui audet, ante vincit, quam accipit.
Pericula timidus, etiam quæ non sunt, videt.
Perpetuo vincit, qui utitur clementia.
Per quæ sis tutus, illa semper cogites.
Plerique metu boni, non innocentia.
Plures tegit fortuna, quam tutos facit.
Plus est quam pœna, injuriæ succumbere.
Plus est quam pœna, sine re miserum vivere.
Pœna ad malum serpens, ut proterat, venit.
Pœna allevatur tunc, ubi laxatur dolor.
Pœnam moratur improbus, non præterit.
Populi est mancipium, quisquis patriæ est utilis.
Post calamitatem memoria, alia est calamitas.
Potens misericors publica est felicitas.
Potenti irasci, sibi periculum est quærere.
Potest non esse honestum, quod non liberum est.
Præsens est semper, qui absens etiam ulciscitur.
Prius negare, post feciſſe, fallere est.

Probo bona fama maxima eſt hereditas.
Probi delicta judex legens deterit.
Probo beneficium qui dat, ex parte accipit.
Probus libertus ſine natura eſt filius.
Prodeſſe qui vult, nec poteſt, æque eſt miſer.
Prodeſt, quicunque obeſſe non vult, cum poteſt.
Pro dominis peccare, etiam virtutis loco eſt.
Pro medicina dolor eſt, dolorem qui necat.
Prope eſt, libens ut damnet, qui damnat cito.
Prope eſt, non æque ut damnet, qui damnat nimis.
Properare in judicando, eſt crimen quærere.
Proſpicere in pace oportet, quid bellum juvet.
Prudenti ſtultus etiam ſermonis jocus eſt.
Pudor dimiſſus nunquam redit in gratiam.
Pudor doceri non poteſt, naſci poteſt.
Pudorem alienum qui eripit, perdit ſuum.
Pudorem habere, ſervitus quodammodo eſt.
Pudor quemcunque non flectit, frangit timor.
Pulchrum eſt, præſtare cuncta, nihil exigere.
Pupillus eſt avarus ætatis brevis.
Puras Deus, non plenas adſpicit manus.

QUAE vult videri bella nimis, nulli negat.
Quam felix vita, quæ ſine negotiis tranſiit!
Quam magnum eſt, non laudari, & eſſe laudabilem!
Quam malus eſt, culpam qui ſuam alterius facit!
Quam miſer eſt, cui ingrata miſericordia eſt!
Quam miſer eſt, qui excuſare ſibi ſe non poteſt!
Quam miſerum auxilium eſt, ubi nocet, quod ſuſtinet!

Quam miſerum eſt, bene quod feceris, factum queri!
Quam miſerum eſt, cogi opprimere, quem ſalvum velis!
Quam miſerum eſt, cum ſe renovat, conſumtum malum!
Quam miſerum eſt, id, quod pauci habent, amittere!
Quam miſerum eſt, mortem cupere, nec poſſe emori!
Quam miſerum officium eſt, quod ſucceſſum non habet!
Quam miſerum eſt, ubi conſilium caſu vincitur!
Quam miſerum eſt, ubi te captant, qui defenderint!
Quam pœnitenda incurrunt viventi diu!
Quam ſæpe veniam, qui negaverat petit!
Quam timidus is eſt, paupertatem qui timet!
Quamvis acerbus, qui monet, nulli nocet.
Quamvis non rectum, quod juvat, rectum putes.
Quemcunque quærit calamitas, facile invenit.
Quem diligas, etiam queri de ipſo malum eſt.
Quem fama ſemel oppreſſit, vix reſtituitur.
Qui æquo malis animo miſcetur, eſt malus.
Qui bene diſſimulat, citius inimico nocet.
Quicquid bono concedis, das partem tibi.
Quicquid conaris, quo pervenias, cogites.
Quicquid fit cum virtute, fit cum gloria.
Quicquid Fortuna exornat, cito contemnitur.
Quicquid futurum eſt ſummum, ab imo naſcitur.
Quicquid nocere didicit, meminit, cum poteſt.
Qui, cum dolet, blanditur, poſt tempus ſapit.
Quidam inimici graves, amici ſunt leves.
Qui debet, limen creditoris non amat.

Quid eſt beneficium dare? imitari Deum.
Qui docte ſervit, partem dominatus tenet.
Quid quiſque poſſit, niſi tentato neſciit.
Quid ipſe ſis, non quid habearis, intereſt.
Quid tibi pecunia opus eſt, ſi ea uti non potes?
Quieta vita iis, qui tollunt Meum, Tuum.
Qui ſpectat, ut rogetur, officium levat.
Qui in vero dubitat, male agit, cum deliberat.
Qui invitus ſervit, fit miſer, ſervit tamen.
Qui jusjurandum ſervat, quovis pervenit.
Qui metuit, calamitatem rarius accipit.
Qui timet inſidias omnes, nullas incidit.
Qui pote celare vitium, vitium non facit.
Qui pote conſilium fugere, ſapere idem poteſt.
Qui pote nocere, timetur, cum etiam non adeſt.
Qui pote nocere, timetur, cum etiam non nocet.
Qui pote transferre amorem, pote deponere.
Qui pro innocente dicit, ſatis eſt eloquens.
Qui ſe ipſum laudat, cito deriſorem invenit.
Quis pauper eſt? qui dives videtur ſibi.
Qui ſibi non vivit, merito aliis eſt mortuus.
Quis miſerum ſciret, verba niſi haberet dolor?
Quis plurimum habet? is, qui omnium minimum cupit.
Qui timet amicum, amicus ut timeat, docet.
Qui timet amicum, vim non novit nominis.
Qui venit, ut noceat, ſemper meditatus venit.
Qui dubitat ulciſci, improbos plures facit.
Qui culpæ ignoſcit uni, ſuadet pluribus.
Quo cavet is, cum animus aliud, verba aliud petunt?
Quod ætas vitium poſuit, ætas auferet.

Quodcunque animus ſibi imperavit, obtinet.
Quod eſt timendum, decipit, ſi negligas.
Quod facere turpe eſt, dicere honeſtum ne puta.
Quod fugere credas, ſæpe ſolet occurrere.
Quod neſcias, cui ſerves, ſtultum eſt parcere.
Quod neſcias, damnare, ſumma eſt temeritas.
Quod periit, quæri pote, reprendi non pote.
Quod quiſque amat, laudando commendat ſibi.
Quod ſemper eſt paratum, non ſemper juvat.
Quod ſenior loquitur, omnes conſilium putant.
Quod timeas, citius, quam quod ſperes, evenit.
Quod vitioſum eſt, quo animo facias, nihil intereſt.
Quod vix contingit, vix voluptatem parit.
Quod vult cupiditas, cogitat, non quod decet.
Quod vult, habet, qui velle, quod ſatis eſt, poteſt.
Quotidie damnatur, qui ſemper timet.
Quotidie eſt deterior poſterior dies.

RAPERE eſt accipere, quod non poſſis reddere.
Rapere eſt, non petere, quidquid invito auferas.
Rarum eſſe oportet, quod diu carum velis.
Ratione, non vi vincenda adoleſcentia eſt.
Refert, quam quis bene vivat; quam diu, non refert.
Regnat, non loquitur, qui nil, niſi quod vult, facit.
Rei nulli prodeſt mora, niſi iracundiæ.
Remedium, fraus eſt, contra flumen quærere.
Repelli ſe homo, facilius fert, quam decipi.
Repente dives nemo factus eſt bonus.
Res inquieta eſt in ſe ipſam felicitas.
Reſpicere nil conſuevit iracundia.

Res quanto eſt major, tanto eſt inſidioſior.
Revertere, unde veneris, nihil grave eſt.
Reus innocens Fortunam, non teſtem timet.
Rex eſſe nolim, ut eſſe crudelis velim.
Rivalitatem non amat victoria.
Rogare ingenuo ſervitus quodammodo eſt.
Roganti melius, quam imperanti pareas.
Ruborem amico excutere, amicum eſt perdere.

SAEPE oculi & aures vulgi, ſunt teſtes mali.
Sæpe ignoſcendo das injuriæ locum.
Salutis cauſa bene fit homini injuria.
Sanctiſſimum eſt, meminiſſe, cui te debeas.
Sapiens contra omnes arma fert, cum cogitat.
Sapiens quod petitur, ubi tacet, breviter negat.
Satis eſt beatus, qui poteſt, cum vult, mori.
Sat magna uſura eſt pro beneficio memoria.
Secrete amicos admone, lauda palam.
Secunda in paupertate fortuna eſt fides.
Secundus eſt a matre nutricis dolor.
Se damnat judex, innocentem qui opprimit.
Seditio civium, hoſtium eſt occaſio.
Semper beatam ſe putat benignitas.
Semper conſilium tunc deeſt, cum opus maxime eſt.
Semper metuendo ſapiens evitat malum.
Semper metuendum, quidquid iraſci poteſt.
Semper plus metuit animus ignotum malum.
Semper redundat ipſe in auctores timor.
Senſus, non ætas invenit ſapientiam.

Se poſſe plus iratus, quam poſſit, putat.
Sero eſt, in periculis conſilium quærere.
Sibi ipſi improbitas cogit fieri injuriam.
Sibi ipſi dat ſupplicium, quem admiſſi pudet.
Sibi primum auxilium eripere, eſt leges tollere.
Si nil velis timere, metuas omnia.
Socius fit culpæ, qui nocentem ſublevat.
Solatium grande eſt, cum univerſo una rapi.
Solet eſſe in dubiis, pro conſilio temeritas.
Solet hora, quod multi anni abſtulerint, reddere.
Solet ſequi laus, cum viam fecit labor.
Sordidius multo vivimus, quam naſcimur.
Spes eſt ſalutis, ubi hominem objurgat pudor.
Spes inopem, res avarum, mors miſerum levat.
Spina etiam grata eſt, ex qua ſpectatur roſa.
Stultitia eſt, inſectari, quem omnes diligunt.
Stultitiæ partem interdum habet felicitas.
Stulti timent fortunam, ſapientes ferunt.
Stultum eſt, alium velle ulciſci pœna ſua.
Stultum eſt, queri de adverſis, ubi culpa eſt tua.
Stultum eſt, timere, quod vitari non poteſt.
Stultum eſt, vicinum velle ulciſci incendio.
Stultum facit fortuna, quem vult perdere.
Stultum, imperare reliquis, qui neſcit ſibi.
Suadere benevoli eſt primum, dein corrigere.
Submittit ſe, quæ ſe erigit, felicitas.
Suis qui neſcit parcere, inimicis favet.
Summiſſum imperium non tenet vires ſuas.
Suſpecta ſemper ornamenta ementibus.
Suſpicio ſibi ipſa rivales parit.
Suum ſequitur lumen ſemper innocentia.

TACERE neſcit idem, qui neſcit loqui.
Taciturnitas ſtulto homini pro ſapientia eſt.
Tam deeſt avaro, quod habet, quam quod non habet.
Tam diu diſcendum eſt homini, quam diu neſciat.
Timidus vocat ſe cautum, parcum ſordidus.
Tormentum o dulce, æquo ubi reprimitur gaudium!
Turpis inopia eſt, quæ naſcitur de gloria.
Tuta eſt jactura, quæ fit negligentia.
Tutiſſima res, timere nihil præter Deum.

UBI cœpit pauper divitem imitari, perit.
Ubicunque pudor eſt, ſemper ibi ſancta eſt fides.
Ubi fata peccant, hominum conſilia excidunt.
Ubi innocens formidat, damnat judicem.
Ubi maxime gaudebis, metues maxime.
Ubi omnis vita metus eſt, mors eſt optima.
Ubi peccat ætas major, male diſcit minor.
Ubi timetur, nil quod timeatur naſcitur.
Velox conſilium ſequitur pœnitentia.
Verbum omne refert, in quam partem intelligas.
Verum eſt, quod pro ſalute fit mendacium.
Verum cur non audimus? quia non dicimus.
Veterem ferendo injuriam, invites novam.
Veterem ferendo injuriam, vites novam.
Viri boni eſt, neſcire facere injuriam.
Virum bonum natura, non ordo facit.
Virtute quod non poſſis, blanditia auferas.
Virtuti amorem nemo honeſte denegat.
Virtuti melius quam Fortunæ creditur.
Virtutis ſpolia cum videt, gaudet labor.

Virtutis vultus partem habet victoriæ.
Vis omnibus esse notus? noris neminem.
Vitium fuit, nunc mos est assentatio.
Vix quisquam transit in bonum, nisi ex malo.
Ulcera animi sananda magis, quam corporis.
Unus dies pœnam affert, multi cogitant.
Voluptas e difficili data dulcissima est.
Voluntas quem pudicum, non corpus facit.
Voluptas tacita mage metus quam gaudium est.
Utrumque casum adspicere debet, qui imperat.
Vultu an natura sis sapiens, multum interest.

Trochaici, vel quasi.

ALEATOR, quanto in arte est melior, tanto est nequior.
Conscientia amici nullius linguæ invenit preces.
Contumeliam nec ingenuus fert, nec fortis facit.
Cui quid vindicandum est, omnis optima est occasio.
Cujus mortem amici exspectant, vitam cives oderunt.
Difficile est dolori, convenire cum sapientia.
Dixeris maledicta cuncta, cum hominem ingratum dixeris.
Duplex fit bonitas, si simul accesserit celeritas.
Esse necesse est vitia minima maximorum maxima.
Est beneficium, eo carere, quod invitus possides.
Est honesta turpitudo, pro bona causa mori.
Expetit pœnas iratus ab alio, a se ipso exigit.
Exsul is, cui nusquam domus est, sine sepulcro est mortuus.
Felix est, non qui videtur esse aliis, sed qui sibi.

Feminarum curam gerere desperare, est otium.
Fortior est, qui cupiditates suas, quam qui hostes sub-
jicit.
Frustra, cum est ventum ad senectam, repetas adole-
scentiam.
Fulmen est, ubi cum potestate habitat iracundia.
Habet in adversis auxilia, qui in secundis commodat.
Heu dolor quam miser est, qui in tormentis vocem non
habet!
Heu quam miserum est, discere servire, ubi dominari
doctus es!
Heu quam miserum est, ab eo lædi, de quo non ausis
queri!
Heu quam multa pœnitenda incurrunt viventes diu!
Homo, qui in homine calamitoso est misericors, me-
minit sui.
Homo semper aliud fert in se, in alterum aliud cogitat.
Improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragium
facit.
In malis sperare bonum, nisi innocens, nemo solet.
Inter amicos judicatur quam inimicos molestius.
Ipsæ amicos res opimæ pariunt, adversæ probant.
Iracundiam qui vincit, superat hostem maximum.
Irritare est calamitatem, cum te felicem vocas.
Ita habeas amicum, posse ut fieri inimicum putes.
Mage cavenda est amicorum invidia, quam insidiæ
hostium.
Maximo periclo custoditur, quod multis placet.
Minime amicus sum, fortunæ particeps nisi sim tuæ.
Mors infanti felix, juveni acerba, sera nimis seni.
Mortuo munus qui mittit, nil dat illi, adimit sibi.

Næ virtutibus multis abundat, qui alienas amat!
Neminem nec accuſaveris, nec laudaveris cito.
Neſcias quid optes, aut quid fugias: ita ludit dies.
Neſcit is nocere, qui nocere velle perdidit.
Ni gradus ſervetur, nulli tutus eſt ſummus locus.
Nil prodeſt, bene didiciſſe, facere ſi ceſſes bene.
Nil rationis eſt, ubi res ſemel in affectum venit.
Nondum felix es, ſi nondum turba te deriſerit,
Non aliter vivas in ſolitudine, aliter in foro.
Nulla, quæ multos amicos recipit, anguſta eſt domus.
Nulla tam bona eſt fortuna, de qua nil poſſis queri.
Nuſquam melius morimur homines, quam ubi liben-
ter viximus.
Objurgari in calamitate, gravius eſt, quam calamitas.
Odio oportet ut peccandi facias, non metu, bonum.
Omnes vitam differentes mors incerta prævenit.
Optime poſitum eſt beneficium, ubi ejus meminit, qui
accipit.
Optimum eſt, ſequi majores, recte ſi præceſſerint.
Pecunia eſt ancilla, ſi ſcis uti; ſi neſcis, domina eſt.
Plerique, ubi aliis maledicunt, faciunt convitium
ſibi.
Principium eſt diſcordiæ, ex communi facere pro-
prium.
Proximum tenet locum confeſſio innocentiæ.
Quanto ſerius peccatur, tanto incipitur turpius.
Quem bono tenere non potueris, hunc teneas malo.
Quidquid eſt plus, quam neceſſe, poſſidentes depri-
mit.
Quid refert, quantum habeas? multo illud plus eſt,
quod non habes.

Regibus pejus eſt multo, quam ipſis ſervientibus.
Res bona eſt, non exſtirpare ſceleratos, ſed ſcelera.
Ridiculum eſt, odio nocentis perdere innocentiam.
Sæpe diſſimulare, quam vel ulciſci, ſatius fuit.
Sæpius locutum, nunquam me tacuiſſe pœnitet.
Semper vocis & ſilentii temperamentum tene.
Sermo animi eſt imago: qualis vir, talis & oratio eſt.
Si multis tua vita placuerit, tibi placere non poteſt.
Sine dolore eſt vulnus, quod ferendum cum victoria.
Si pares invitus, ſervus es; miniſter, ſi volens.
Solitudinem quærat, qui vult cum innocentibus vivere.
Tam crudelitas eſt, omnibus, atque nulli ignoſcere.
Tam deeſt, quod habet, avaro, quam miſero, quod non habet.
Theſaurum in ſepulcro ponit, qui ſenem heredem facit.
Tolerabilior, qui mori jubet, quam qui male vivere.
Tolerabilior pœna, haud poſſe, quam neſcire vivere.
Tuta ſæpe, nunquam ſecura, mala conſcientia eſt.
Ubi ſis cum tuis, & abſis patria, eam deſideres.
Vita hominis brevis: ideo honeſta mors eſt immortalitas.

Hos ſequentes verſus, qui in editione Scaligeriana apparent, in ſua vel immutaverat Gruterus, vel plane omiſerat. Ne quid forte Publio detraheretur, eos addidimus Haverkampium ſequentes.

Avarus animus nullo ſatiatur lucro.
Fortunam citius vel rapias, quam retineas.

Libido indicium eſt ejus, quod levitas ſapit.
Lingua eſt maliloquax mentis indicium malæ.
Non eſt beatus, eſſe qui ſe non putat.
Nullus tantus quæſtus, quam quod habes parcere.
Spes præmii laboris eſt ſolatium.
Miſeriam neſcire propriam eſt ſine periculo vivere.

10242404

FLAVII AVIANI

FABULÆ.

10242404

FLAVII AVIANI

PRAEFATIO.

Avianus Theodoſio.

DUBITANTI mihi, Theodoſi optime, quonam literarum titulo noſtri nominis memoriam mandaremus, fabularum textus occurrit: quod in his urbane concepta falſitas deceat, & non incumbat neceſſitas veritatis. Nam quis tecum de oratione, quis de poemate loqueretur? Cum in utroque literarum genere & Atticos Græca eruditione ſuperes, & Latinitate Romanos? Hujus ergo materiæ ducem nobis Æſopum noveris, qui reſponſo Delphici Apollinis monitus ridicula orſus eſt, ut legenda firmaret. Verum has pro exemplo fabulas & Socrates divinis operibus indidit, & poemati ſuo Flaccus aptavit; quod in ſe, ſub jocorum communium ſpecie, vitæ argumenta contineant: quas Græcis jambis Babrius repetens, in duo volumina coartavit. Phædrus etiam partem aliquam quinque in libellos reſolvit. De his ergo ad quadraginta & duas in unum redactas fabulas edidi: quas rudi latinitate compoſitas elegis ſum explicare conatus. Habes ergo opus,

quo animum oblectes, ingenium exerceas, ſollicitudines leves, totumque vivendi ordinem cautus agnoſcas. Loqui vero arbores, feras cum hominibus gemere, verbis certare volucres, animalia ridere fecimus; ut pro ſingulorum neceſſitatibus vel ab ipſis animis ſententia proferatur.

FLAVII AVIANI
FABULÆ.

FABULA I.

Ruſtica & Lupus.

RUSTICA deflenti parvo juraverat olim,
Ni taceat, rabido quod foret eſca lupo.
Credulus hanc vocem lupus audiit, & manet ipſas
Pervigil ante fores, irrita vota gerens.
Nam laſſata puer nimiæ dat membra quieti,
Spem quoque raptori ſuſtulit inde fames.
Hunc ubi ſilvarum repetentem luſtra ſuarum
Jejunum conjux ſenſit adeſſe lupa:
Cur, inquit, nullam refers de more rapinam,
Languida conſumtis ſed trahis ora genis?
Ne mireris, ait, deceptum fraude maligna
Vix miſerum vacua delituiſſe fuga.
Nam quæ præda, rogo, quæ ſpes contingere poſſet,
Jurgia nutricis cum mihi verba darent.
HAEC ſibi dicta putet, ſeque hac ſciat arte notari,
Femineam quiſquis credidit eſſe fidem.

FABULA II.

Aquila & Teſtudo.

PENNATIS avibus quondam teſtudo locuta eſt:
Si quis eam volucrem conſtituiſſet humi;
Protinus e rubris conchas proferret arenis,
Quis pretium nitido cortice bacca daret.
Indignans ſibimet, tardo quod ſedula greſſu
Nil ageret, toto perficeretque die.
Aſt ubi promiſſis aquilam fallacibus implet,
Experta eſt ſimilem perfida lingua fidem.
Et male mercatis dum quærit ſidera pennis,
Occidit infelix alitis ungue fero.
Tum quoque ſublimis, cum jam moreretur, in auras
Ingemuit, votis hæc licuiſſe ſuis.
Atque ait: exoſæ poſt hæc documenta quietis
Non ſine ſupremo magna labore peti.
Sic, quicunque nova ſublatus laude tumeſcit,
Dat merito pœnas, dum meliora cupit.

FABULA III.

Cancer & Mater.

CURVA retrocedens cum fert veſtigia cancer,
Hiſpida ſaxoſis terga reliſit aquis.
Hunc genitrix facili cupiens procedere greſſu,
Talibus alloquiis præmonuiſſe datur.
Ne tibi tranſverſo placeant hæc devia, nate,
Rurſus in obliquos neu velis ire pedes.
Sed niſu contenta ferens veſtigia recto,
Innocuos proſo tramite fiſte gradus.
Cui natus, Faciam, ſi me præceſſeris, inquit,
Rectaque monſtrantem certior ipſe ſequar.
NAM ſtultum nimis eſt, cum tu praviſſima tentes,
Alterius cenſor ut vitioſa notes.

FABULA IV.

Boreas & Sol.

IMMITIS Boreas placiduſque ad ſidera Phœbus,
Jurgia cum magno conſeruere Jove,
Quis prior inceptum peragat. Mediumque per orbem
Carpebat ſolitum forte viator iter.
Convenit hanc potius liti præfigere cauſam,
Pallia nudato decutienda viro.
Protinus impulſus ventis circumſonat æther,
Et gelidus nimias depluit imber aquas.

Ille magis duplicem lateri circumdat amictum,
Turbida ſummotos qua trahit aura ſinus.
Sed tenues radios paulatim increſcere Phœbus
Juſſerat, ut nimio ſurgeret igne jubar.
Donec laſſa volens requieſcere membra viator,
Depoſita feſſus veſte reſedit humi.
Tunc victor docuit præſentia numina Titan,
Nullum præmiſſis vincere poſſe minis.

FABULA V.

Ruſticus & Aſinus.

METIRI ſe quemque decet, propriiſque juvari
Laudibus, alterius nec bona ferre ſibi.
Ne detracta grâvem faciant miracula riſum,
Cœperit in ſolitis cum remeare malis.
EXUVIAS aſinus Gætuli forte leonis
Repperit, & ſpoliis induit ora novis.
Aptavitque ſuis incongrua tegmina membris,
Et miſerum tanto preſſit honore caput.
Aſt ubi terribilis animo circumſtitit horror,
Pigraque præſumtus venit in oſſa vigor;
Mitibus ille feris communia pabula calcans,
Turbabat pavidas per ſua rura boves.
Ruſticus hunc magna poſtquam deprendit ab aure,
Correptum vinclis verberibuſque domat.
Et ſimul abſtracto denudans corpora tergo,
Increpat his miſerum vocibus ille pecus:

Forſitan ignotos mutato tegmine fallas,
At mihi, qui quondam, ſemper aſellus eris.

FABULA VI.

Rana & Vulpis.

EDITA gurgitibus, olimque immerſa profundo,
Et luteis tantum ſemper amica vadis,
Ad ſuperos colles, herboſaque prata recurrens,
Mulcebat miſeras turgida rana feras.
Callida quod poſſet gravibus ſuccurrere morbis,
Et vitam ingenio continuare ſuo.
Nec ſe Pæonio jactat ceſſiſſe magiſtro,
Quamvis perpetuos curet in orbe Deos.
Tunc vulpes pecudum ridens aſtuta quietem,
Verborum vacuam prodidit eſſe fidem.
Hæc dabit ægrotis, inquit, medicamina membris,
Pallida cæruleus cui notat ora color.
NE ſibimet quiſquam de rebus inaniter ullis,
Quas nequit, imponat, fabula noſtra docet.

FABULA VII.

Canis.

HAUD facile eſt pravis innatum mentibus, ut ſe
Muneribus dignas ſuppliciove putent.
FORTE canis quondam nullis latratibus horrens,
Nec patulis primum rictibus ora trahens,
Mollia ſed pavidæ ſubmittens verbera caudæ,
Concitus audaci vulnera dente dabat.
Hunc dominus, ne quem probitas ſimulata lateret,
Juſſerat in rabido gutture ferre nolam.
Faucibus innexis crepitantia ſubligat æra,
Quæ facili motu ſigna cavenda darent.
Hæc tamen ille ſibi credebat præmia ferri,
Et ſimilem turbam deſpiciebat ovans.
Tunc inſultantem ſenior de plebe ſuperbum
Adgreditur, tali ſingula voce monens.
Infelix! quæ tanta rapit dementia ſenſum,
Munera pro meritis ſi cupis iſta dari?
Non hoc virtutis decus oſtentatur in ære,
Nequitiæ teſtem ſed geris inde ſonum.

FABULA VIII.

Camelus.

CONTENTUM propriis ſapientem vivere rebus,
Nec cupere alterius, fabula noſtra monet.
Indignata cito, ne ſtet Fortuna, recurſu
Atque eadem minuat, quæ dedit ante, rota.
CORPORIS immenſi fertur pecus iſſe per auras,
Et magnum precibus ſollicitaſſe Jovem.
Turpe nimis cunctis irridendumque videri:
Inſignes geminis cornibus ire boves;
Et ſolum nulla munitum parte camelum,
Objectum cunctis expoſitumque feris.
Jupiter adridens, poſtquam ſperata negavit,
Inſuper & magnæ ſuſtulit auris onus:
Vive minor merito, cui ſors non ſufficit, inquit,
Et tua perpetuum, livide, damna geme.

FABULA IX.

Viatores.

MONTIBUS ignotis, curviſque in vallibus artum
Cum ſocio quidam ſuſcipiebat iter.
Securus quodcunque malum fortuna tuliſſet,
Robore collato poſſet uterque pati.

Dumque per inceptum vario ſermone feruntur,
In mediam præceps convenit urſa viam.
Horum alter faciIi comprendens robora curſu,
In viridi trepidum fronde pependit onus.
Ille trahens nullo jacuit veſtigia greſſu,
Exanimem fingens, ſponte reliſus humi.
Continuo prædam cupiens fera ſæva cucurrit,
Et miſerum curvis unguibus ante levat.
Verum ubi concreto riguerunt membra timore,
(Nam ſolitus mentis liquerat oſſa calor)
Tunc olidum credens, quamvis jejuna, cadaver,
Deſerit, & luſtris conditur urſa ſuis.
Sed cum ſecuri paulatim in verba rediſſent,
Liberior juſto, qui fuit ante fugax;
Dic, ſodes, quidnam trepido tibi rettulit urſa?
Nam ſecreta diu, multaque verba dedit.
Multa quidem monuit, tamen hæc quoque maxima (juſſit,
Quæ miſero ſemper ſunt facienda mihi:
Ne facile alterius repetas conſortia, dixit,
Rurſus ab inſana ne capiare fera.

FABULA X.

Eques.

CALVUS eques, capiti ſolitus religare capillos,
Atque alias nudo vertice ferre comas,
Ad campum nitidis venit conſpectus in armis,
Et facilem frenis flectere cœpit equum.

Hujus ab adverſo Boreæ ſpiramina perflant,
  Ridiculum populo conſpiciente caput.
Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
  Diſcolor appoſita quæ fuit ante coma.
Ille ſagax, tantis cum riſus millibus eſſet,
  Diſtulit admota calliditate jocum.
Quid? mirum poſitos referens fugiſſe capillos,
  Quem prius æquævæ deſeruere comæ?
RIDICULO cuiquam cum ſis, abſolvere temet
  Oppoſita veri cum ratione ſtude.

FABULA XI.

Olla ærea & lutea.

ARRIPIENS geminas ripis cedentibus ollas,
  Inſanis pariter flumen agebat aquis.
Sed diverſa duas ars & natura creavit,
  Ære prior fuſa eſt, altera ficta luto.
Diſpar erat fragili & ſolidæ concordia motus,
  Incertumque vagus amnis habebat iter.
Ne tamen alliſam confringeret ærea teſtam
  Jurabat: ſolitam longius ire viam
Illa timens (ne quid levibus graviora nocerent,
  Et quia nulla brevi eſt cum meliore fides.)
Quamvis ſecuram verbis me feceris, inquit,
  Non timor ex animo diſcutiendus erit.
Nam me ſive tibi, ſeu te mihi conferat unda,
  Semper ero ambobus ſubdita ſola malis.

PAUPERIOR caveat ſeſe ſociare potenti,
Namque fides illi cum parili melior.

FABULA XII.

Ruſticus, qui theſaurum invenerat.

RUSTICUS impreſſo molitus vomere terram,
Theſaurum ſulcis proſiluiſſe videt.
Mox indigna animo properante relinquit aratra,
Semina compellens ad meliora boves.
Continuo ſupplex Telluri conſtruit aras,
Quæ ſibi depoſitas ſponte dediſſet opes.
Hunc Fortuna novis gaudentem provida rebus
Admonet, indignam ſe quoque ture dolens.
Nunc inventa meis non prodis munera templis,
Atque alios mavis participare Deos.
Sed cum ſubrepto fueris triſtiſſimus auro,
Me primam lacrimis ſollicitabis inops.
NON me ridenti ſed triſti cernere vultu
Fas erit, & vacua ſint tibi vota tua.
Unius accepto peccat grave quiſque talento,
Si quod ab hoc ſumſit, imputat hoc alii.

FABULA XIII.

Taurus & Hircus.

IMMENSUM Taurus fugeret cùm forte Leonem,
Tutaque deſertis quæreret antra viis.
Speluncam reperit, quam tunc hirſutus habebat,
Cinyphii ductor qui ſolet eſſe gregis.
Aſt ubi ſubmiſſa meditantem irrumpere fronte
Obvius obliquo terruit ore caper;
Triſtis abit, longaque fugax de valle locutus
(Nam timor expulſum jurgia ferre vetat,)
Non te demiſſis ſetoſum, putide, barbis,
Illum, qui ſupereſt inſequiturque, tremo.
Nam ſi diſcedat, noſces, ſtultiſſime, quantum
Diſcrepet a Tauri viribus hircus olens.
DUM cupis illatum tibimet par ſolvere damnum,
Abſque tuo damno hocce caveto fore.

FABULA XIV.

Simia & Jupiter.

JUPITER in toto quondam quæſiverat orbe,
Munera natorum qui meliora daret.
Certatim ad regem currit genus omne ferarum,
Permixtumque homini cogitur ire pecus.
Sed nec ſquamigeri deſunt ad jurgia piſces,
Vel quidquid volucrum purior aura vehit.

Inter quos trepidæ ducebant pignora matres,
Judicio tanti diſcutienda Dei.
Tunc brevis informem traheret cum Simia natum,
Ipſum etiam in riſum compulit ire Jovem.
Hanc tamen ante alias rupit turpiſſima vocem,
Dum generis crimen ſic abolere cupit.
Jupiter hoc norit, maneat victoria ſi quem,
Judicio ſupereſt omnibus iſte meo.
ERGO mos homini eſt, quidquid ſibi fecerit ipſe,
Vile licet maneat, comprobat ipſe tamen.
Nolo velis rerum quidquam laudare tuarum,
Alterius niſi ſunt ore probata prius.

FABULA XV.

Grus & Pavo.

THREICIAM volucrem fertur Junonius ales
Communi ſociam continuaſſe cibo.
Namque inter varias fuerat diſcordia formas,
Magnaque de facili jurgia lite trahunt:
Quid ſibi multimodo fulgerent membra decore,
Cæruleam facerent livida terga gruem.
Et ſimul erectæ circumdans tegmina caudæ
Sparſerat arcanum rurſus in aſtra jubar.
Illa licet nullo pennarum certet honore,
His tamen inſultans vocibus uſa datur.
Quamvis innumerus plumas variaverit ordo,
Merſus humi ſemper florida terga geris.

Aſt ego deformi ſublimis in aera penna,
Proxima ſideribus numinibuſque, feror.
Si quadam virtute nites, ne reſpice quenquam,
Ex alia quadam forſan & ipſe nitet.

FABULA XVI.

Quercus & Arundo.

Montibus e ſummis radicitus eruta quercus
Decidit, inſani turbine victa noti.
Quam tumidis ſubter decurrens alveus undis
Suſcipit, & fluvio præcipitante rapit.
Verum ubi diverſis impellitur ardua ripis,
In fragiles calamos grande reſedit onus.
Tunc, ſic exiguo connectens ceſpite ramos,
Miratur liquidis quod ſtet arundo vadis;
Se quoque tam vaſto necdum conſiſtere trunco,
Aſt illam tenui cortice ferre minas.
Stridula mox blando reſpondit canna ſuſurro,
Seque magis tutam debilitate docet.
Tu rabidos, inquit, ventos, ſævaſque procellas
Deſpicis, & totis viribus acta ruis.
Aſt ego ſurgentes paulatim demoror auſtros,
Et quamvis levibus provida cedo notis.
In tua præruptus offendit robora nimbus,
Motibus aura meis ludificata perit.
Haec nos dicta monent magnis obſiſtere fruſtra,
Paulatimque truces exſuperare minas.

FABULA XVII.

Venator & Tigris.

VENATOR jaculis haud irrita vulnera torquens,
Turbabat rapidas per ſua luſtra feras.
Tum pavidis audax cupiens ſuccurrere Tigris
Verbere commotas juſſit adeſſe minas.
Ille tamen ſolito contorquens tela lacerto,
Nunc tibi, qualis eram, nuntius iſte refert.
Et ſimul emiſſo transjecit viſcera ferro,
Perſtrinxitque citos haſta cruenta pedes.
Molliter adfixum traheret cum ſaucia telum,
A trepida fertur vulpe retenta diu.
Dum rogat, unde foret, qui talia vulnera ferret;
Aut ubinam jaculum delituiſſet agens:
Illa gemens, fractoque loqui vix murmure cœpit;
Nam ſolitas voces ira dolorque rapit.
Nulla quidem medio convenit in aggere forma,
Quæque oculis olim ſit repetenda meis.
Sed cruor, & validis in nos directa lacertis
Oſtendunt aliquem tela fuiſſe virum.
BRUTA licet ſoleant animalia jure timeri,
Omnibus eſt illis pluś metuendus homo.

FABULA XVIII.

Juvenci & Leo.

QUATUOR immenſis quondam per prata juvencis
Fertur amicitiæ tanta fuiſſe fides,
Ut ſimul emiſſos nullus divelleret error,
Rurſus & e paſtu turba rediret amans.
Hos quoque collatis inter ſe cornibus ingens
Dicitur in ſilvis pertimuiſſe Leo.
Dum metus oblatam prohibet tentare rapinam,
Et conjuratos horret adire boves.
Et quamvis audax, factiſque immanior eſſet,
Tantorum ſolus viribus impar erat.
Protinus adgreditur pravis inſiſtere verbis,
Colliſum cupiens diſſociare pecus.
Et, poſtquam dictis animos disjunxit acerbis,
Invaſit, miſerum diripuitque gregem.
Tunc quidam ex illis: Vitam ſervare quietam
Qui cupit, ex noſtra diſcere morte poteſt.
NEVE cito admotas verbis fallacibus aures
Impleat, aut veterem deſerat ante fidem.

FABULA XIX.

Abies & Dumus.

HORRENTES dumos Abies pulcherrima riſit,
Cum facerent formæ jurgia magna ſuæ:
Indignum referens cunctis certamen haberi,
Quos meritis nullus conſociaret honos.
Nam mihi deductum ſurgens in nubila corpus,
Verticis erectas tollit in aſtra comas.
Puppibus & patulis media cum ſede locamur,
In me ſuſpenſos explicat aura ſinus.
At tibi deformem quod dant ſpineta figuram,
Deſpectum cuncti præteriere viri.
Ille refert: Nunc læta quidem bona ſola fateris,
Et noſtris frueris imperioſa malis:
Sed cum pulchra minax ſuccidet membra ſecuris,
Quam velles ſpinas tunc habuiſſe meas!
NEMO ſuæ carnis nimium lætetur honore;
Ne vilis factus poſt ſua damna gemat.

FABULA XX.

Piſcator & Piſcis.

PISCATOR ſolitus prædam deprendere ſæta,
Exigui piſcis vile trahebat onus.
Sed poſtquam ſuperas captum perduxit ad auras,
Atque avido fixum vulnus ab ore tulit:

Parce, precor, ſupplex lacrimis ita dixit obortis.
Nam quanta ex noſtro corpore lucra feres?
Nunc me ſaxoſis genetrix fœcunda ſub antris
Fudit, & in pròpriis ludere juſſit aquis.
Tolle minas, tenerumque tuis ſine creſcere menſis,
Hæc tibi me rurſum litoris ora dabit.
Protinus immenſi depaſtus cærula ponti,
Pinguior ad calamum ſponte recurro tuum.
Ille nefas captum referens abſolvere piſcem,
Difficiles queritur caſibus eſſe vices.
Nam miſerum eſt, inquit, præſentem amittere prædam,
Stultius & rurſum vota futura ſequi.
INCERTA pro ſpe non munera certa relinque,
Ne rurſus quæras forte, nec invenias.

FABULA XXI.

Ruſticus & Avis.

PARVULA progeniem terræ mandaverat ales,
Qua ſtabat viridi ceſpite flava ſeges.
Ruſticus hanc fragili cupiens decerpere culmo,
Vicinam ſupplex forte petebat opem.
Sed vox implumes turbavit credula nidos,
Suaſerat & laribus continuare fugam.
Cautior hos remeans prohibet diſcedere mater:
Nam, quid ab externis proficietur? ait.
Ille iterum caris operam mandavit amicis.
At genetrix rurſum tutior inde manet.

Sed poſtquam curvas dominum comprendere falces,
Frugibus & veram ſenſit adeſſe manum:
Nunc ait, o miſeri, dilecta relinquite rura,
Cum ſpem de propriis viribus ille petit.

FABULA XXII.

Invidus & Cupidus.

JUPITER ambiguas hominum prædiſcere mentes,
Ad terras Phœbum miſit ab arce poli.
Tunc duo diverſis poſcebant numina votis:
Namque alter cupidus, invidus alter erat.
His ſeſe medium Titan, ſcrutatus utrumque,
Obtulit, & precibus ut peteretur, ait,
Præſtabit facilis: nam quæ ſperaverit unus,
Protinus hæc alter congeminata feret.
Sed cui longa jecur nequeat ſatiare cupido,
Diſtulit admotas in nova damna preces.
Spem ſibi confidens alieno creſcere voto,
Seque ratus ſolum munera ferre duo.
Ille ubi captantem ſocium ſua præmia vidit,
Supplicium proprii corporis optat ovans.
Nam petit exſtinctus ut lumine degeret uno,
Alter ut, hoc duplicans, vivat utroque carens.
Tunc ſortem ſapiens humanam riſit Apollo,
Invidiæque malum retulit inde Jovi.
Quæ dum proventis aliorum gaudet iniquis,
Lætior infelix & ſua damna cupit.

FABULA XXIII.

Statuarius.

VENDITOR inſignem referens de marmore Bac-
Expoſitum pretio fecerat eſſe Deum. (chum
Nobilis hunc quidam funeſta in ſede ſepulcri
Mercari cupiens compoſiturus erat.
Alter adoratis ut ferret munera templis,
Redderet & ſacro debita vota loco.
Nunc, ait, ambiguum facies de mercibus omen,
Cum ſpes in pretium munera diſpar agit.
Et me defunctis, ſeu malis tradere Divis,
Sive decus buſti ſeu velis eſſe Deum.
Subdita nequitiæ eſt magni reverentia facti,
Atque eadem retines funera noſtra manu.
CONVENIT hoc illis, quibus eſt permiſſa poteſtas,
An prodeſſe aliis, vel nocuiſſe velint.

FABULA XXIV.

Venator & Leo.

CERTAMEN longa protractum lite gerebant
Venator quondam, nobilis atque Leo.
Hi cum perpetuum cuperent in jurgia finem,
Editia continuo forte ſepulcra vident.
Illic docta manus flectentem colla Leonem
Fecerat in gremio procubuiſſe viri.

Scilicet affirmans pictura teſte ſuperbum
Se fieri: exſtinctam nam docet eſſe feram.
Ille graves oculos ad inania ſigna retorquens
Infremit, & rabido pectore verba dedit:
Irrita te generis ſubiit fiducia veſtri,
Artificis teſtem ſi cupis eſſe manum.
Quod ſi noſtra novum caperet ſolertia ſenſum,
Sculperet ut docili pollice ſaxa Leo;
Tunc hominem adſpiceres oppreſſum murmure ſolo,
Conderet ut rabidis ultima fata genis.

FABULA XXV.

Puer & Fur.

FLENS Puer extremam putei conſedit ad undam,
Vana ſupervacuis rictibus ora trahens.
Callidus hunc lacrimis poſtquam Fur vidit obortis,
Quænam triſtitiæ ſit modo cauſa, rogat.
Ille ſibi abrupti fingens diſcrimina funis,
Atque auri queritur deſiluiſſe cadum.
Nec mora; ſollicitam traxit manus improba veſtem,
Exutus putei protinus ima petit.
Parvulus exiguo circumdans pallia collo,
Sentibus immerſus delituiſſe datur.
Sed poſt fallaci ſuſcepta pericula voto
Triſtior, amiſſa veſte reſedit humi.
Dicitur his ſolers vocem rupiſſe querelis,
Et gemitu ſummos ſollicitaſſe Deos:

Perdita, quiſquis erit, poſthac ſibi pallia credat,
Qui putat in liquidis quod natat urna vadis.
NEMO nimis cupide ſic res deſideret ullas,
Ne, plus cum cupiat, perdat & id, quod habet.

FABULA XXVI.

Leo & Capella.

VIDERAT excelſa paſcentem rupe Capellam,
Comminus eſuriens cum Leo ferret iter.
Et prior, Heus, inquit, præruptis ardua ſaxis
Linque, nec hirſutis paſcua quære jugis:
Sed cytiſi croceum per prata virentia florem,
Et glaucas ſalices & thyma grata pete.
Illa gemens, Deſiſte, precor, fallaciter, inquit,
Securam placidis inſimulare dolis.
Vera licet moneas & magna pericula; tollas
Tu tamen: his dictis non facis eſſe fidem.
Nam quamvis rectis conſtet ſententia verbis,
Suſpectam hanc rabidus conſiliator habet.
NE citius blandis cujuſquam credito dictis;
Sed ſi ſint fidi, reſpice quid moneant.

FABULA XXVII.

Cornix & Urna.

INGENTEM ſitiens Cornix adſpexerat urnam,
Quæ minimam fundo continuiſſet aquam.
Hanc eniſa diu planis effundere campis:
Scilicet ut nimiam pelleret inde ſitim:
Poſtquam nulla viam virtus dedit, admovet omnes
Indignata nova calliditate dolos.
Nam brevis immerſis accreſcens ſponte lapillis
Potandi facilem præbuit unda viam.
VIRIBUS hæc docuit quam ſit prudentia major,
Qua cœptum volucris explicuiſſet opus.

FABULA XXVIII.

Ruſticus & Juvencus.

VINCLA recuſanti, dedignantique Juvenco
Aſpera mordaci ſubdere colla jugo,
Ruſticus obliqua ſuccidens cornua falce,
Credidit inſanum defremuiſſe pecus.
Cautus & immenſo cervicem innectit aratro:
(Namque erat hic cornu promtior atque pede:)
Scilicet ut longus prohiberet verbera temo,
Neve ictus faciles ungula ſæva daret.

Sed poſtquam irato detractans vincula collo,
Immeritam vacua calce fatigat humum:
Continuo everſam pedibus diſpergit arenam,
Quam ferus in Domini ora ſequentis agit.
Tunc ſic informi ſqualentes pulvere crines
Diſcutiens, imo pectore victus ait:
Nimirum exemplum naturæ dedat iniquæ,
Qua fieri poſſes cum ratione nocens.

FABULA XXIX.

Satyrus & Viator.

HORRIDA congeſtis cum ſtaret bruma pruinis,
Vinctaque durato ſtringeret arva gelu,
Hæſit in adverſa nimborum mole viator:
Perdita nam prohibet ſemita ferre gradum.
Hunc nemorum cuſtos fertur miſeratus in antro
Exceptum Satyrus continuiſſe ſuo.
Quem ſimul adſpiciens ruris miratur alumnus,
Vimque homini tantam protinus eſſe pavet.
Nam gelidos artus vitæ ut revocaret in uſum,
Afflatas calido ſolverat ore manus.
Sed cum depulſo cœpiſſet frigore lætus
Hoſpitis eximia ſedulitate frui:
(Namque ille agreſtem cupiens oſtendere vitam,
Silvarum referens optima quæque dabat:
Obtulit & calido plenum cratera Lyæo,
Laxet ut infuſus frigida membra tepor:)

Ille ubi ferventem labris contingere teſtam
Horruit, algenti rurſus ab ore tulit.
Obſtupuit duplici monſtro perterritus hoſpes,
Et pulſum ſilvis longius ire jubet.
Nolo, ait, ut noſtris unquam ſucceſſerit antris,
Tam diverſo duo qui ſimul ore ferat.
QUI bene colloquitur coram, ſed poſtea prave;
Hic erit inviſus, bina quod ora gerat.

FABULA XXX.

Villicus & Dominus.

VASTANTEM ſegetes & pinguia culta ruentem
Liquerat abſciſa Ruſticus aure ſuem,
Ut memor accepti referens monumenta doloris
Ulterius teneris parceret ille ſatis.
Rurſus in excepti deprenſus crimine campi,
Perdidit indultæ perfidus auris onus.
Nec mora, prædictæ ſegeti caput intulit horrens,
Pœna ſed indignum congeminata facit.
Tunc Domini captum menſis dedit ille ſuperbis,
In varias epulas plurima fruſta ſecans.
Sed cum conſumti Dominus cor quæreret apri,
Impatiens fertur cor rapuiſſe cŏquus.
Ruſticus hoc juſtam verbo compeſcuit iram,
Affirmans ſtultum non habuiſſe ſuem.
Nam cur membrorum demens in damna rediſſet,
Atque uno totiens poſſet ab hoſte capi?

HAEC illos præcepta monent, qui ſæpius auſi
Nunquam peccatis abſtinuere manus.

FABULA XXXI.

Mus & Bos.

INGENTEM fertur Mus quondam parvus oberrans
Auſus ab exiguo lædere dente Bovem.
Verum ubi mordaci confecit vulnera roſtro,
Tutus in anfractus conditur inde ſuos.
Ille licet vaſta torvum cervice minetur,
Non tamen iratus, quem petat, eſſe videt.
Tunc indignantem juſto ſermone fatigans,
Diſtulit hoſtiles calliditate minas.
Non quia magna tibi tribuerunt membra parentes,
Viribus effectum conſtituere tuis.
DISCE tamen, brevibus quæ ſit fiducia monſtris,
Ut faciat, quidquid parvula turba cupit.

FABULA XXXII.

Ruſticus & Hercules.

HAERENTEM luteo ſub gurgite Ruſticus axem
Liquérat, & nexos ad juga curva Boves:
Fruſtra diſpoſitis confidens numina votis
Ferre ſuis rebus, cum reſideret, opem.

Cui rector ſummis Tirynthius inſit ab aſtris,
  Nam vocat hunc ſupplex in ſua vota Deum:
Perge laborantes ſtimulis agitare juvencos,
  Et manibus pigras diſce juvare rotas.
Tunc quoque congreſſum majoraque viribus auſum
  Fas ſuperos animis conciliare tuis.
DISCE tamen pigris non flecti numina votis,
  Præſenteſque adhibe, cum facis ipſe, Deos.

FABULA XXXIII.

Anſer & Ruſticus.

ANSER erat cuidam pretioſo germine fœta,
  Ovaque quæ nidis aurea ſæpe daret.
Fixerat hanc volucri legem natura ſuperbæ,
  Ne liceat pariter munera ferre duo.
Sed dominus cupidum ſperans vaneſcere votum,
  Non tulit exoſas in ſua lucra moras:
Grande ratus pretium volucris de morte referre,
  Quæ tam continuo munere dives erat.
Poſtquam nuda minax egit per viſcera ferrum,
  Et vacuam ſolitis fœtibus eſſe videt:
Ingemuit tantæ deceptus crimine fraudis;
  Nam pœnam meritis retulit inde ſuis.
SIC, qui cuncta Deos uno male tempore poſcunt,
  Juſtius his etiam vota diurna negant.

FABULA XXXIV.

Formica & Cicada.

QUISQUIS torpentem paſſus tranſire juventam,
Nec timuit vitæ providus ante ſuæ:
Confectus ſenio, poſtquam gravis adfuit ætas,
Heu fruſtra alterius ſæpe rogabit opem.
SOLIBUS obreptos hiemi Formica labores
Diſtulit, & brevibus condidit ante cavis.
Verum ubi candentes ſuſcepit terra pruinas,
Arvaque ſub rigido delituere gelu:
Pigra nimis tantos non æquans corpore nimbos,
In propriis Laribus humida grana legit.
Decolor hanc precibus ſupplex alimenta rogabat,
Quæ quondam querulo ruperat arva ſono:
Se quoque maturas cum tenderet area meſſes,
Cantibus æſtivos explicuiſſe dies.
Parvula tunc ridens ſic eſt affata Cicadam:
(Nam vitam pariter continuare ſolent:)
En quoniam ſummo ſubſtantia parta labore eſt,
Frigoribus mediis otia longa traho.
At tibi ſaltandi nunc ultima tempora reſtant,
Cantibus eſt quoniam vita peracta prior.

FABULA XXXV.

Simia & Nati.

FAMA eſt, quod geminum profundens Simia partum
Dividit in varias pignora bina vices.
Namque unum caro genitrix educit amore,
Alteriuſque odiis exſaturata tumet.
Cœperit ut fœtam gravior terrere tumultus,
Diſſimili natos conditione rapit.
Dilectum manibus vel pectore geſtat amico,
Contemtum dorſo ſuſcipiente levat.
Sed cum laſſatis nequeat conſiſtere plantis,
Oppoſitum fugiens ſponte remittit onus.
Alter at hirſuto circumdans brachia collo
Hæret, & invita cum genitrice fugit.
Mox quoque dilecti ſuccedit in oſcula fratris,
Servatus vetulis unicus heres avis.
Sic multos neglecta juvant, atque ordine verſo,
Spes humiles rurſus in meliora refert.

FABULA XXXVI.

Vitulus & Bos.

PULCHER & intacta Vitulus cervice reſultans
Scindentem aſſidue viderat arva Bovem.
Non, pudet, heus, inquit, longævo vincula collo
Ferre, nec expoſitis otia noſſe jugis?
Cum mihi ſubjectas pateat diſcurſus in herbas,
Et nemorum liceat rurſus opaca ſequi.
At ſenior nullam verbis compulſus in iram,
Vertebat ſolitam vomere feſſus humum:
Donec depoſito per prata liceret aratro,
Molliter herboſo procubuiſſe toro.
Mox vitulum ſacris innexum reſpicit aris
Admotum cultro comminus ire prope.
Hanc tibi triſtis, ait, dedit indulgentia mortem,
Expertem noſtri quæ facit eſſe jugi.
Proderit ergo graves quamvis perferre labores,
Otia quam tenerum mox peritura pati.
EST hominum ſors iſta, magis felicibus ut ſit
Mors cita, cum miſeros vita diurna regat.

FABULA XXXVII.

Canis & Leo.

PINGUIOR exhausto Canis occurrisse Leoni
Fertur, & insertis verba dedisse jocis:
Nonne vides, duplici tendantur ut ilia tergo,
Luxurietque toris nobile pectus? ait.
Proximus humanis ducor post otia mensis,
Communem capiens largius ore cibum.
Nec quod crassa nocet circumdat guttura ferrum,
Ne custodita fas sit abire domo.
At tu magna diu moribundus lustra pererras,
Donec se silvis obvia præda ferat.
Perge igitur nostris tua subdere colla catenis,
Sic liceat faciles promeruisse dapes.
Protinus ille gravem gemitu collectus in iram,
Atque ferox animi nobile murmur agit:
Vade, ait, & meritis nodum cervicibus infer,
Compescantque tuam vincula dira famem.
At mea cum vacuis libertas redditur antris,
Quamvis jejunus, quæ libet, arva peto.
Has illis epulas potius laudare memento,
Qui libertatem postposuere gulæ.

FABULA XXXVIII.

Piſcis fluviatilis & marinus.

DULCIBUS e ſtagnis fluvio torrente coactus,
Æquoreas præceps piſcis obibat aquas.
Illic ſquamigerum deſpectans improbus agmen,
Eximium ſeſe nobilitate refert.
Non tulit expulſum patrio ſub gurgite Phoca,
Verbaque cum ſalibus aſperiora dedit:
Vana laboratis aufer mendacia dictis,
Quæque refutari te quoque teſte queant.
Nam quis erit potior, populo ſpectante probabo,
Si pariter captos humida lina trahant.
Tunc me nobilior magno mercabitur emtor,
Te ſimul ære brevi debile vulgus emet.
QUISQUIS ab externis nuper devenerit oris,
Non decet indigenis ut velit eſſe prior.

FABULA XXXIX.

Miles & Lituus.

VOVERAT attritus quondam per prœlia Miles
Omnia ſuppoſitis ignibus arma dare:
Vel quæ victori moriens ſibi turba dediſſet,
Vel quidquid profugo poſſet ab hoſte capi.
Interea votis ſors adfuit, & memor arma
Cœperat accenſo ſingula ferre rogo.

Tunc Lituus rauco defendens murmure culpam
Immeritum flammis ſe docet eſſe prius.
Nulla tuos, inquit, petierunt tela lacertos,
Viribus adfirmes quæ tamen acta meis.
Sed tantum ventis & cantibus arma coegi,
Hæc quoque ſubmiſſo teſtor & aſtra ſono.
Ille reſultantem flammis crepitantibus addens,
Nec te major, ait, pœna dolorque rapit.
Nam licet ipſe nihil poſſis tentare, nec auſus;
Sævior hoc, alios quod facis eſſe malos.

FABULA XL.

Vulpes & Pardus.

DISTINCTUS maculis & pulchro pectore Pardus
Inter conſimiles ibat in arva feras.
Sed quia nulla graves variarent terga Leones,
Protinus his miſerum credidit eſſe genus.
Cetera ſordenti damnans animalia vultu
Solus in exemplum nobilitatis erat.
Hunc arguta novo gaudentem Vulpis amictu
Corripit, & vanas approbat eſſe notas.
Vade, ait, & pictæ nimium confide juventæ,
Dum mihi conſilium pulchrius eſſe queat.
MIREMURQUE magis, quos munera mentis adornant,
Quam qui corporeis enituere bonis.

FABULA XLI.

Imber & Testa.

IMPULSUS ventis & pressa nube coactus,
  Ruperat hibernis se gravis imber aquis.
Cumque per effusas stagnaret turbine terras,
  Expositum campis fictile pressit opus.
(Mobile namque lutum tepidus prius instruit aer,
  Discat ut admoto rectius igne coqui.)
Tunc Nimbus fragilis perquirit nomina testæ.
  Immemor illa sui, Amphora dicor, ait.
Nunc me docta manus rapiente volumina gyro,
  Molliter obliquum jussit habere latus.
Hactenus hac, inquit, liceat constare figura:
  Jam te subjectam diluet Imber aquis.
Et simul accepto violentius amne fatiscens
  Pronior in tenues victa cucurrit aquas.
Infelix, quæ magna sibi cognomina sumens,
  Ausa pharetratis Imbribus ista loqui.
HAEC poterunt posthac miseros exempla monere,
  Subdita nobilibus ut sua fata gemant.

FABULA XLII.

Lupus & Hœdus.

FORTE Lupum melior curſu deluſerat Hœdus,
  Proxima vicinis dum petit arva caſis.
Inde fugam recto tendens in mœnia curſu
  Inter lanigeros conſtitit ille greges.
Impiger hunc raptor mediamque ſecutus in urbem
  Tentat compoſitis ſollicitare dolis.
Nonne vides, inquit, cunctis ut victima templis
  Immerita pecudum morte cruentet humum?
Quod niſi ſecuro valeas te reddere campo,
  Heu mihi! vittata tu quoque fronte cadis.
Ille refert: Modo, quam metuis, precor, exue curam,
  Et tecum viles, improbe, tolle minas.
Nam ſat erit ſacrum Divis fudiſſe cruorem,
  Quam rabido fauces exſaturare Lupo.
SIC quoties duplici ſubeuntur triſtia caſu,
  Expedit inſignem promeruiſſe necem.

10242404

ANONYMI

FABULÆ ÆSOPIÆ.

10242404

ANONYMI FABULÆ ÆSOPIÆ.

PRAEFATIO.

UT juvet, ut profit, conatur pagina præſens:
Dulcius arrident ſeria picta jocis.
Hortulus iſte parit fructum cum flore, favorem
Flos & fructus emunt: hic ſapit, ille nitet.
Si fructus plus flore placet, fructum lege: ſi flos
Plus fructu, florem: ſi duo, carpe duo.
Ne mihi torpentem ſopiret inertia ſenſum,
In quo pervigilet, mens mea movit opus.
Ut meſſis pretium de vili ſurgat agello,
Verbula ſicca, Deus, implue rore tuo.
Verborum lenitas morum fert pondus honeſtum,
Et nucleum celat arida teſta bonum.

FABULA I.

De Gallo & Jaſpide.

DUM rigido fodit ore fimum, dum quæritat eſcam,
Dum ſtupet inventa jaſpide Gallus, ait:

Res vili pretioſa loco, natique decoris,
Hac in ſorde jacens, nil mihi meſſis habes.
Si tibi nunc eſſet, qui debuit eſſe, repertor,
Quem limus ſepelit, viveret arte nitor.
Nec tibi convenio, nec tu mihi, nec tibi proſum,
Nec mihi tu prodes, plus amo cara minus.
Tu gallo ſtolidum: tu jaſpide dona Sophiæ
Pulchra notes: ſtolido nil ſapit iſte cibus.

FABULA II.

De Lupo & Agno.

Est Lupus, eſt Agnus: ſitit hic, ſitit ille: fluenti
Limite non uno, quærit uterque viam.
In ſummo bibit amne Lupus, bibit Agnus in imo.
Hunc timor impugnat, verba monente Lupo:
Rupiſti potumque mihi, rivoque decorem.
Agnus utrumque negat, ſe ratione tuens:
Nec tibi, nec rivo nocui; nam prona ſupinum
Neſcit iter, nec adhuc unda nitore caret.
Sic iterum tonat ore Lupus: Mihi damna minaris?
Non minor, Agnus ait. Cui Lupus: Immo facis.
Fecit idem tuus ante pater, ſed menſibus actis.
Cum bene patriſſes, crimine patris obi.
Agnus ad hæc: Tanto non vixi tempore, prædo.
Cui Lupus: An loqueris, furcifer? huncque vorat.
Sic nocet innocuo nocuus, cauſamque nocendi
Invenit. Hi regnant qualibet urbe lupi.

FABULA III.

De Mure & Rana.

MURIS iter rumpente lacu, venit obvia Muri
Rana loquax, & opem pacta nocere cupit.
Omne genus peſtis ſuperat mens diſſona linguæ,
Cum ſentes animi florida lingua polit.
Rana ſibi Murem filo confœderat, audet
Nectere fune pedem, rumpere fraude fidem.
Pes coit ergo pedi; ſed mens a mente recedit.
Ecce natant; trahitur ille, ſed illa trahit.
[Mergitur, ut ſecum Murem demergat: amico
Naufragium faciens, naufragat ipſa fidem.]
Rana ſtudet mergi; ſed Mus emergit, & obſtat
Naufragio: vires ſuggerit ipſe timor.
Milvus adeſt, miſerumque truci rapit ungue duellum:
Hic jacet, ambo jacent, viſcera rupta fluunt.
Sic pereant, qui ſe prodeſſe fatentur, & obſunt.
Diſcat in auctorem pœna redire ſuum.

FABULA IV.

De Cane & Ove.

IN cauſam Canis urget Ovem, ſedet arbiter, audit.
Reddat Ovis panem vult Canis; illa negat.

Pro Cane ſtat milvus, ſtat vultur, ſtat lupus: inſtant,
Panem quem pepigit reddere, reddat Ovis.
Reddere non debet, nec habet quod reddere poſſit;
Et tamen ut reddat, arbiter inſtat Ovi.
Ergo ſuum, licet inſtet hiems, pervendit amictum,
Et Boream patitur, vellere nuda ſuo.
SAEPE fidem falſo mendicat inertia teſte,
Sæpe dolet pictas, criminis arte capi.

FABULA V.

De Cane & Carne.

NAT Canis ore gerens carnem, caro porrigit umbram;
Umbra cohæret aquis: has Canis urget aquas.
Spem carnis plus carne cupit, plus fœnore ſignum
Fœnoris; os aperit, ſic caro ſpeſque perit.
NON igitur debent pro vanis certa relinqui.
Non ſua ſi quis amat, mox caret ipſe ſuis.

FABULA VI.

De Leone, Vacca, Capra & Ove.

UT ratione pari fortunæ munera ſumant,
Sumunt fœdus, Ovis, Capra, Juvenca, Leo.
Cervus adeſt, cervum rapiunt: Leo ſic ait: Heres
Primæ partis ero; nam mihi primus honor.

Et mihi defendit partem vis prima ſecundam,
Et mihi dat major tertia jura labor.
Et pars quarta, niſi mea ſit, rumpemus amorem.
PUBLICA ſolus habet fortior, ima premens.
[NE ſociet fortem fragilis, vult pagina præſens:
Nam fragili fidus neſciet eſſe potens.]

FABULA VII.

De Femina & Fure.

FEMINA dum nubit furi, vicinia gaudet,
Vir bonus & prudens talia verba movet:
Sol pepigit ſponſam. Jovis aures Terra querelis
Perculit, & cauſam, cur foret ægra, dedit.
Sole necor ſolo: quid erit ſi creverit alter?
Quid patiar? quid aget tanta caloris hiems?
HIC prohibet ſermo, lætum præbere favorem
His, male qui faciunt, vel mala facta parant.

FABULA VIII.

De Lupo & Grue.

ARTA Lupum cruciat via gutturis oſſe retento:
Mendicat medicam, multa daturus, opem.
Grus promiſſa petit, de faucibus oſſe revulſo:
Cui Lupus, En vivis munere tuta meo?

Nonne tuum potui morſu præſcindere collum?
Ergo tibi munus ſit tua vita meum.
NIL prodeſt prodeſſe malis: mens prava malorum
Immemor accepti non timet eſſe boni.

FABULA IX.

De duabus Caniculis.

DE partu querulam verborum nectare plenam
Pro Cane mota Canis, ſuſcipit æde canem.
Hæc abit, illa manet; hæc curſitat, illa quieſcit,
Huic tandem a partu ſolvitur ipſa quies.
Illa redit, reddique ſibi ſua jura precatur:
Obſerat hæc aurem, nec minus aure domum.
Plus prece poſſe minas putat: hæc plus bella duobus
Noſcit poſſe minas, plus prece bella minus.
Cum dolor hanc armet, plus matrem filius armat;
Cedit ſola gregi: juſtaque cauſa perit.
NON ſatis eſt tutum mellitis credere verbis:
Ex hoc melle ſolet peſtis amara ſequi.

FABULA X.

De Ruſtico & Colubro.

DUM nive candet humus, glacies dum ſopit aquarum
Curſus, in Colubrum turbida ſævit hiems.

Hunc videt, hunc reficit hominis clementia; ventum
Temperat huic tecto, temperat igne gelu.
[Ver redit, imber abit, æſtas cum ſole tepeſcit.
Sic importunus fit magis atque magis.]
Ore ſerit virus Coluber, ſic toxicat ædem.
Hoſpes ait Colubro, Non rediturus abi.
Non exit Coluber, nec vult exire, ſed hæret,
Amplectenſque virum ſibila dira movet.
REDDERE gaudet homo nequam pro melle venenum,
Pro fructu pœnam, pro pietate dolos.

FABULA XI.

De Aſino & Apro.

AUDET Aſellus Aprum riſu tentare protervo,
Audet iners forti dicere, Frater, ave.
Vibrat Aper pro voce caput; nam verba ſuperbit
Reddere, ſed dentem vix tenet ita trucem.
Sus tamen iſta movet, Vilem dens nobilis eſcam
Spernit: deſidia tutus es ipſe tua.
NON debet ſtolido lædi prudentia riſu,
Nec ſtolidus doctum debet adire jocis.

FABULA XII.

De Mure urbano & ruſtico.

RUSTICUS urbanum mus murem ſuſcipit, ædem
Commodat & mentem: menſaque mente minor.
In menſa tenui ſatur immenſa voluntas,
Nobilitat viles frons generoſa dapes.
Facto fine cibis, urbanum ruſticus audit:
Urbani ſocius tendit in urbis opes.
Ecce penu ſubeunt, inſervit amicus amico;
Invigilant menſæ; fercula menſa gerit.
Emendat conditque cibos clementia vultus,
Convivam ſatiat plus dape frontis honor.
Ecce ſerra clavis immurmurat, oſtia laxat!
Ambo timent, fugiunt ambo, nec ambo latent.
Hic latet, hic latebras curſu mendicat inepto,
Aſſuitur muro reptile muris onus.
Blanda penu clauſo parcit Fortuna timenti,
Ille tamen febrit: teſte tremore timet.
Exit qui latuit, timidum ſic lenit amicum:
Gaude, carpe cibos, hæc ſapit eſca favum.
Fatur qui latuit, Latet hoc in melle venenum,
Fellitumque metu non puto dulce bonum.
Quam timor obnubit, non eſt ſincera voluptas.
Non eſt ſollicito dulcis in ore cibus.
Rodere malo fabam, quam cura perpete rodi,
Degenerare cibos cura diurna facit.

His opibus gaude, qui gaudes turbine mentis;
  Pauperiem ditat pax opulenta mihi.
Hæc bona ſolus habe, quæ ſunt tibi dulcia ſoli;
  Dat pretium dapibus vita quieta meis.
Finit verba, redit; præponit tuta timendis;
  Et quia ſumma timet, tutius ima petit.
PAUPERIES ſi læta venit, tutiſſima res eſt:
  Triſtior immenſas pauperat uſus opes.

FABULA XIII.

De Vulpe & Aquila.

DUM Vulpes Aquilam pro rapta prole perungit
  Melle precum; prædam reddere neſcit avis.
Præda gemit, nidique timet cibus eſſe guloſi:
  Sed redimit natos utilis arte parens.
Arboreum zonat ſtipulis & vimine truncum,
  In ſtipulam docto porrigit ore facem.
In pullos Aquilæ conſurgit copia fumi.
  Hunc timet, & Vulpem provida placat avis.
NON ſit qui ſtudeat, quia major, obeſſe minori,
  Cum bene majori poſſit obeſſe minor.

FABULA XIV.

De Aquila & Cornice.

PES Aquilæ, prædo teſtudinis, aera ſcindit.
Hanc ſua concha tegit, cornua longa latent.
Hoc monitu Cornix Aquilam præmunit ineptum:
Fers onus; hoc fiet utile, crede mihi.
Quod geris in concha, cibus eſt: tibi ſubripit illum
Concha cibum: concham frange, cibuſque cadet.
Ut concham lanies, pro viribus utere ſenſu:
Hanc, ſi celſa cadit, ſaxea franget humus.
DE ſe tutus homo, ſubmerſus turbine linguæ
Corruit; & forteis iſta procella rapit.

FABULA XV.

De Vulpe & Corvo.

VULPE gerente famem, Corvum gerit arbor, & eſcam
Ore gerens Corvus, Vulpe loquente, filet:
Corve decore decens, cygnum candore peræquas;
Si cantu placeas, plus ave quaque places.
Credit avis, pictæque placent præludia linguæ:
Dum canit, ut placeat, caſeus ore cadit.
Hoc fruitur Vulpes; inſurgunt tædia Corvo.
Aſperat in modico damna dolore pudor.

FELLITUM patitur riſum, quem mellit inanis
Gloria: vera parit tædia falſus honor.

FABULA XVI.

De Leone inveterato.

IRRETIT miſerum gravitas annoſa Leonem,
Inglaciat corpus, corque ſenile gelu.
Inſtat aper, penſat veteri pro vulnere vulnus.
Frontis eum telo taurus utroque fodit.
Sævit aſellus iners, & frontem calce ſigillat.
Hæc ſolo gemitu vindicat acta Leo.
Omnia quæ vici, me vincunt omnia: dormit
Vis mea, dormit honor, dormit honoris opus.
Cui nocui, nocet ille mihi: multiſque peperci,
Qui mihi non parcunt, pro pietate nocent.
HUNC timeat caſum, qui ſe non fulcit amico,
Nec dare vult felix, quam miſer optat opem.

FABULA XVII.

De Aſino & Catulo.

MURMURIS & caudæ ſtudio teſtatur amorem
Nunc lingua Catulus, nunc pede placat herum.
Gaudet herus, comitque canem, comitemque ciborum
Efficit; alludit turba miniſtra cani.

Arte pari, ſimileſque cibos, ſimilemque favorem
Lucrari cupiens, inquit Aſellus iners:
Me catulo præfert vitæ nitor, utile tergum;
Nec placeo fructu, ſed placet ille joco.
Ludens tute places. Sic ludi tempore viſo,
Ut ludo placeat, ludit & inſtat hero.
Blandiri putat ore tonans, humeriſque priorum
Preſſis mole pedum, ſe putat eſſe pium.
Clamat herus: vult clamor opem: ſubit ordo clientum.
Multa domat multo verbere clava reum.
QUOD natura negat, nemo feliciter audet:
Diſplicet imprudens, unde placere putat.

FABULA XVIII.

De Leone & Mure.

FRIGIDA ſopito blanditur ſilva Leoni:
Curſitat hic murum ludere promta cohors.
Preſſus mure Leo murem rapit; ille precatur:
Ille precem librat, ſubjacet ira preci.
Hæc tamen ante movet animo: Quid mure peremto
Laudis emes? ſummum vincere parva pudet.
Si nece dignetur murem leo, nonne leoni
Dedecus, & muri cœperit eſſe decus?
Si vincat ſummus minimum, ſic vincere vinci eſt.
Vincere poſſe decet, vincere crimen habet.
Si tamen hoc decus eſt, ſi laus ſic vincere; laus hæc,
Et decus hoc, minimo fiet ab hoſte minus.

De pretio victi pendet victoria: victor
Tantus erit, victi gloria quanta fuit.
Mus abit, & grates reddit, ſi reddere poſſit
Spondet opem: ſolus fit mora parva dies.
Nam Leo rete ſubit, nec prodeſt viribus uti,
Sed prodeſt querulo murmure damna loqui.
Mus redit, hunc reperit, cernit loca, vincula rodit,
Hac ope penſat opem: ſic Leo tutus abit.
Rem potuit tantam minimi prudentia dentis,
Cui leo dans veniam ſe dedit ipſe ſibi.
Tu qui ſumma potes, ne deſpice parva potentem;
Nam prodeſſe ſolet, ſi quis obeſſe nequit.

FABULA XIX.

De Milvo ægrotante.

MORBI mole jacet Milvus, matremque precatur,
Ut pro ſe Superis det ſacra, detque preces.
Mater ait, Mi nate, Deos & ſacra Deorum
Læſiſti: recolunt impia facta Dei.
Criminis ultores penſant pro crimine pœnam.
Dum ſacra turbares, pœna timenda fuit.
Te cogit timor eſſe pium, te pœna fidelem:
Hic timor, hæc pietas cum nece ſera venit.
Qui maculat vitam, mundas cur incolit aras?
Quem ſua facta premunt, cur aliena levat?

FABULA XX.

De Hirundine & Avibus.

UT linum pariat de lini ſemine ſemen
Nutrit humus: ſed aves tangit Hirundo metu.
Hæc ait: Hoc ſemen nobis mala vincla minatur,
Vellite pro noſtris ſemina ſparſa malis.
Turba fugit ſanos monitus, vanoſque timores
Arguit: exit humum ſemen, & herba viret.
Rurſus Hirundo monet, inſtare pericula: rident
Rurſus aves. Hominem placat Hirundo ſibi,
Cumque viris habitans cantu blanditur amico:
Nam proviſa minus tela nocere ſolent.
Jam metitur linum, jam fiunt retia, jam vir
Fallit aves, jam ſe conſcia culpat avis.
UTILE conſilium qui ſpernit, inutile ſumit.
Qui minus eſt tutus, retia jure ſubit.

FABULA XXI.

Similitudo ad ſequentem fabulam.

FABULA nata ſequi mores & pingere vitam,
Tangit quod fugias, quodve ſequaris iter.
Rege carens, nec regis inops, ſine lege nec exlex,
Abſque jugo geſſit Attica terra jugum.

Libertas errore carens, ſe ſponte coegit:
Et pudor ob legem fortior enſe fuit.
Ne libitum faceret, regem gens libera fecit;
Et quæ non potuit pellere juſſa, tulit.
Rex cœpit linire bonos, punire nocentes,
Quæque levanda levans, quæque premenda premens.
Hos onerat cives poſitos ſub lege novella:
Quæ leniter poterant, vix potuere pati.
Urbem triſte jugum querula cervice ferentem
Æſopus tetigit, conſona verba movens.

De Ranis.

Dum nihil auderet ludentes lædere Ranas,
Supplicuere Jovi, ne ſine rege forent.
Juppiter huic voto riſum dedit: auſa ſecundas
Rana preces, ſubitum ſenſit in amne ſonum.
Nam Jove dante trabem, trabis ictu flumine moto,
Demerſit ſubitus guttura rauca timor.
Placato rediere metu, videre tigillum,
Stando procul regem pertimuere ſuum.
Ut novere, trabem per ſe non poſſe moveri,
Pro duce fecerunt tertia vota Jovi.
Ira Jovem movit, regem dedit, intulit hydrum.
Hydrus hiante gula cœpit inire lacum.
Clamitat ecce lacus, Morimur, pie Juppiter, audi,
Juppiter, exaudi, Juppiter, affer opem!
Nos ſepelit venter, noſtri ſumus eſca tyranni,
Aufer cædis onus, redde quietis opem.

Ille refert, Emtum longa prece ferte magiſtrum:
Vindicet æternus otia ſpreta metus.
OMNE boni pretium nimio vileſcit in uſu,
Fitque mali guſtu dulcius omne bonum.
Si quis habet quod habere decet, ſit lætus habendo,
Alterius non ſit, qui ſuus eſſe poteſt.

FABULA XXII.

De Accipitre & Columbis.

ACCIPITREM, milvi pulſuræ bella, Columbæ
Accipiunt regem; rex magis hoſte nocet.
Incipiunt de rege queri, quod ſanius eſſet
Milvi bella pati, quam ſine Marte mori.
Si quid agas, prudenter agas & reſpice finem.
Ferre minora volo, ne graviora feram.

FABULA XXIII.

De Fure & Cane.

FURE vocante canem prætenſo munere panis,
Spreto pane Canis talia verba movet:
Ut ſileam, tua dona volunt, furtiſque laborant
Eſſe locum: panem ſi fero, cuncta feres.
Fert munus mea damna tuum, latet hamus in eſca,
Me privare cibo cogitat iſte cibus.

Non amo nocturnum panem plus pane diurno,
Advena: plus nolo; non placet hoſtis hero.
Non rapiet nox una mihi bona mille dierum,
Nolo ſemper egens eſſe, ſemelque ſatur.
Latrando tua furta loquar, niſi ſponte recedas.
Hic ſilet, ille manet; hic tonat, ille fugit.
Si tibi quid detur, cur detur reſpice; ſi des,
Cui des, ipſe nota; teque, guloſe, doma.

FABULA XXIV.

De Lupo & Sue pariente.

Vult Lupus ut pariat maturum ſucula fœtum,
Seque novi curam ſpondet habere gregis.
Sus ait: Hac cura careas, mihi nolo miniſtres;
Horrent obſequium viſcera noſtra tuum.
I procul, ut tuto liceat mihi fundere fœtus;
I procul, & pietas hæc erit apta mihi.
Pro natis natura jubet timuiſſe parentem:
Fine dato verbis hic abit, illa parit.
Tempore non omni, non omnibus omnia credes.
Qui miſero credit, creditur eſſe miſer.

FABULA XXV.

De terra tumente.

TERRA tumet: tumor ille gemit, gemituſque fatetur
Partum: pæne perit ſexus uterque metu.
Cum tumeat tellus, monſtrat ſe monſtra daturam:
Vicini trepidant, & prope ſtare timent.
In riſum timor ille redit: nam turgida murem
Terra parit: jocus eſt quod fuit ante timor.
SAEPE minus faciunt homines, qui magna minantur:
Sæpe gerit nimios cauſa puſilla metus.

FABULA XXVI.

De Capra, Ove, & Lupo.

CUM grege barbato dum ludit junior agnus,
Tendit in hunc menti diſſona verba Lupus:
Cur olidam munda ſequeris plus matre capellam?
Lac tibi præberet dulcius ipſa parens.
Eſt prope, feſtina, matrem pete, munera matris
Lac bibe; nam ſervat ubera plena tibi.
Agnus ad hæc: Pia capra mihi lac dulce miniſtrat;
Me vice matris alit, me vice matris amat.
Non mihi, ſed domino prodeſt me vivere; vivo
Ut metat a tergo vellera multa meo.

Ergo mihi præſtat nutriri lacte caprino,
Quam lac matris habens, mergar in ore tuo.
Omnes vincit opes ſecuram ducere vitam,
Pauperius nihil eſt, quam malus uſus opum.
NIL melius ſano monitu, nil pejus iniquo,
Conſilium ſequitur certa ruina malum.

FABULA XXVII.

De Cane & Domino ſuo.

ARMAVIT natura Canem pede, dente, juventa:
Hinc levis, hinc mordax, fortis & inde fuit.
Tot bona furatur ſenium; nam robore privat
Corpus, dente genas, & levitate pedes.
Hic leporem prendit; fauces lepus exit inermes.
Deluſum domini verberat ira canem.
Reddit verba Canis: Dum me pia pertulit ætas,
Nulla meum potuit fallere præda pedem.
Defendit ſenii culpam laus ampla juventæ:
Pro ſene qui cecidit, facta priora vigent.
Nullus amor durat, niſi fructus ſervet amorem:
Quilibet eſt tanti, munera quanta facit.
Magnus eram, dum magna dedi: jam muſcidus annis
Vileo, de veteri mentio nulla bono.
Si laudas quod eram, quod ſum culpare protervum eſt;
Si juvenem recipis, pellere turpe ſenem eſt.
SE miſere ſervire ſciat, qui ſervit iniquo:
Parcere ſubjectis neſcit iniquus homo.

FABULA XXVIII.

De Leporibus fugientibus.

SILVA ſonat, fugiunt Lepores, palus obviat, hærent,
Fit mora, reſpiciunt ante retroque, timent.
Dum librant in mente metus, ſe mergere pacti,
Se metui & ranas ſtagna ſubire vident.
Unus ait: Sperare licet; non ſola timoris
Turba ſumus; vano rana timore latet.
Spem decet amplecti: ſpes eſt via prima ſalutis:
Sæpe facit metui non metuenda, metus.
Corporis eſt levitas, & mentis inertia nobis;
Iſta fugæ cauſam ſuggerit, illa necem.
SIC metuat quicunque timet, ne mole timoris
Spe careat: gravis eſt ſpe fugiente timor.
Speret qui metuit: morituros vivere vidi
Spe duce; victuros ſpe moriente mori.

FABULA XXIX.

De Capra & Hœdulo.

CAPRA cibum quærens, hœdum commendat ovili:
Hunc illi ſolida ſervat ovile ſera.
Natum cauta parens monitu præmunit amico,
Ut lateat, nec ſit in ſua damna vagus.

Hic latet; ecce lupus movet oſtia: voce capellam
Exprimit, ut pateant oſtia clauſa, petit.
Sta procul, Hœdus ait, caprizas gutture falſo;
Cum bene caprizas, te procul eſſe volo.
Quod mea ſis mater, mentitur imago loquendi:
Rimula, qua video, te docet eſſe lupum.
INSITA natorum cordi doctrina parentum
Cum pariat fructum, ſpreta nocere ſolet.

FABULA XXX.

De Ruſtico & Angue.

RUSTICA menſa diu nutritum foverat anguem:
Humanam potuit anguis amare manum.
Gratia longa viri ſubitam mutatur in iram;
Ira per anguineum dirigit arma caput.
Vulneris auctor eget, ſe vulnere credit egenum.
Angui pro venia ſupplicat; anguis ait:
Non ero ſecurus, dum ſit tibi tanta ſecuris,
Dum cutis hæc memorat vulnera facta ſibi:
Qui me læſit, item lædet, ſi lædere poſſit.
Expedit infido non iterare fidem.
Sed te ſi pigeat ſceleris, ſcelus omne remitto.
Nam gemitus veniam vulnere cordis emit.
QUI primo nocuit, vult poſſe nocere ſecundo.
Quæ dedit infidus mella, venena puto.

FABULA XXXI.

De Cervo, Ove & Lupo.

CERVUS Ovi præſente Lupo ſic intonat: Amplum
Vas tritici debes reddere, redde mihi.
Sic jubet eſſe Lupus: paret iſta timore jubentis;
Namque die fixo debita ſpondet Ovis.
Fit mora; Cervus Ovem vexat de fœdere; Cervo
Inquit Ovis: Non ſtant fœdera facta metu.
Me decuit quæcunque Lupo cogente fateri:
Me decuit fraudem pellere fraude pari.
CUM timor in pacto ſedit, promiſſa timoris
Arent: nil fidei verba timentis habent.

FABULA XXXII.

De Muſca & Calvo.

MUSCA premit Calvum; Muſcam vult lædere Cal-
Ut Muſcam feriat, ſe ferit; illa redit. (vus:
Calvus ait: Te Parca jubet vicina necari.
Si ferior, rides; ſi feriare, cades.
Soſpes ero decies ictus, ſemel icta peribis.
Eſt mea promta mihi gratia, ſurda tibi.
JURE poteſt lædi lædens, ut lædat; in illum
Unde brevis cœpit læſio, magna redit.

FABULA XXXIII.

De Vulpe & Ciconia.

VULPE vocante venit, ſperatque Ciconia cœnam.
Fallit avem liquidus Vulpe vocante cibus.
Cum bibit illa cibos, ſolum bibit illa liquorem.
Hic dolor in Vulpem fabricat arma doli.
Sunt pauci mora parva dies, avis inquit, Habemus
Fercula quæ ſapiunt; dulcis amica, veni.
Hæc venit; hæc vitreo vaſe bona fercula condit,
At ſolam recipit formula vaſis avem.
Laudat opes oculo vaſis nitor; has negat ori
Formula: ſic geminant viſus odorque famem.
Sic Vulpes jejuna redit; ſic fallitur audens
Fallere; ſic telo læditur ipſa ſuo.
QUOD tibi non faceres, alii feciſſe caveto.
Vulnera non facias, quæ potes ipſe pati.

FABULA XXXIV.

De Lupo & capite invento.

DUM legit arva Lupus, reperit caput arte ſuperbum:
Hoc beat humanis ars pretioſa genis.
Hoc Lupus alterno volvit pede, verba reſolvit:
O ſine voce genas, o ſine mente caput!

FUSCAT & exſtinguit cordis caligo nitorem
Corporis : eſt animi ſolus in orbe nitor.

FABULA XXXV.

De Graculo & Pavone.

GRACULUS invento picti Pavonis amictu,
Se polit, & ſocias ferre ſuperbit avés.
Quem fore pavonem pavonis penna fatetur,
Pavonum generi non timet eſſe comes.
Pavo dolum ſentit; falſi pavonis honorem
Increpat, & domitam verbere nudat avem.
Nuda latet, ſocioſque fugit, minuique pudorem
Sic putat: hunc diro corripit ore comes:
Aſcenſor nimius nimium ruit, aptus in imis
Eſt locus; hæc levis eſt, illa ruina gravis.
Qui plus poſſe putat ſua quam natura miniſtrat,
Poſſe ſuum ſuperans, ſe minus eſſe putat.
Si tibi nota ſatis naturæ meta fuiſſet,
Nec vilis nec inops nec ſine teſte fores.
CUI ſua non ſapiunt, alieni ſedulus auceps
Quod non eſt rapiens, deſinit eſſe quod eſt.

FABULA XXXVI.

De Muſca & Formica.

MUSCA movens lites Formicam voce fatigat,
Se titulis ornat turpiter ipſa ſuis:
Torpes merſa cavis, levitas mihi quæritur alis;
Dat tibi foſſa domum, nobilis aula mihi.
Deliciæ ſunt grana tuæ, me regia nutrit
Menſa; bibis fæcem, ſed bibo dulce merum.
Quod bibis, a limo ſugis; mihi ſuggerit aurum,
Quod bibo; ſaxa premis, regia terga premo.
Sede, cibis, potu, thalamo, cum regibus utor,
Reginæ teneris oſcula figo genis.
Non minus urentes mittit Formica ſagittas,
Et ſua non modicum ſpicula fellis habent:
Ludo merſa cavis; neſcit tua penna quietem:
Sunt mihi pauca ſatis, ſunt tibi multa parum.
Me lætam videt eſſe cavus, te regia triſtem.
Plus mihi grana placent, quam tibi regis opes.
Venatur mihi farra labor, tibi fercula furtum:
Hæc mihi pax mellit, toxicat illa timor.
Mundo farre fruor, tu fœdas omnia tactu:
Cum nulli noceam, omnibus una noces.
Eſt mea parcendi ſpeculum, tua vita nocendi.
Sunt mea quæ carpo, non niſi rapta voras.
Ut comedas, vivis; comedo, ne vivere ceſſem.
Me nihil infeſtat, te fugit omnis homo.

Unde petis vitam, rapitur tibi vita; palato
  Dulcia vina bibens, fel necis acre bibis.
Si negat ala tibi ventoſo victa flabello,
  Aut nece vinciris, aut ſemiviva jaces.
Si potes æſtivi dono durare favoris,
  Cetera ſi parcant, non tibi parcit hiems.
DULCIA pro dulci, pro turpi turpia reddi
  Verba ſolent: odium lingua fidemque parit.

FABULA XXXVII.

De Mula & Muſca.

MULA rapit curſum: nam Mulam mulio cogit.
Mulæ Muſca nocet, vulnere ſive minis:
Cur pede ſopito tempus currumque moraris?
  Te premo, te pungo: peſſima, curre levis.
Mula refert: Quia magna tonas, vis magna videri.
  Nec tua facta nocent, nec tua verba mihi:
Nec te ſuſtineo, ſed eum, quem ſuſtinet axis,
  Qui mea frena tenet, qui mea terga ferit.
AUDET in audacem timidus, fortique minatur
  Debilis, audendi dum videt eſſe locum.

FABULA XXXVIII.

De Leone & Spina.

SOLLICITUS prædæ currit Leo; ſpina Leonem
Vulnerat, offendit in pede merſa pedem.
Fit mora de curſu; levitas improvida lapſum
Sæpe facit, læſo ſtat pede turba pedum.
Vix ægrum ſinit ille dolor, ſaniemque fatetur.
Vulnus idem loquitur vulneris ipſe dolor.
Cum lædit miſeros fortuna, medetur eiſdem:
Hoc eſt, cur medicum plaga Leonis habet.
Nam Leo paſtorem reperit: paſtorque Leoni
Pro dape præbet oves; reſpuit ille dapes.
Supplicat, & plagam tenſo pede monſtrat, & ejus
Orat opem: paſtor vulnera ſolvit acu.
Exit cùm ſanie dolor, & res cauſa doloris,
Hic blando medicam circuit ore manum.
Soſpes abit, meritique notas in corde ſigillat.
Tempore deleri gratia firma nequit.
Hinc Leo vincla ſubit: Romanæ gloria prædæ
Hunc habet, & multis miſcet arena feris.
Ecce necis potum paſtori culpa propinat;
Clauditur in mediis, & datur eſca feris.
Hunc fera præſentit, petit hunc; timet ille, timenti
Hæc fera blanditur; ſperat, abitque timor.
Nil feritatis habens ludit fera, cauda reſultat,
Dum fera manſueſcit, ſe negat eſſe feram.

Hunc tenet, hunc lingit, penſatque ſalute ſalutem;
Nulla ſinit fieri vulnera, nulla facit.
Roma ſtupet, parcitque viro parcitque Leoni:
Hic redit in ſilvas, & redit ille domum.
NON debet meritum turpis delere vetuſtas:
Accepti memores nos decet eſſe boni.

FABULA XXXIX.

De Lupo & Vulpe.

RESPONDERE Lupo de furti labe tenetur
Vulpes: cauſa vocat: hic petit, ille negat.
Simius eſt judex: docti non errat acumen
Judicis, arcanum mentis in ore legit.
Judicium fingit: Poſcis, quod poſcere fraus eſt,
Viſque fidem de re, quam negat ipſa fides.
Tu bene furta negas, te vitæ purior uſus
Liberat; hanc litem pax domat; ira cadit.
SIMPLICITAS veri, fraus eſtque puerpera falſi:
Eſſe ſolent vitæ conſona verba ſuæ.
Sordibus imbuti nequeunt dimittere ſordem:
Fallere qui didicit, fallere ſemper amat.

FABULA XL.

De Ruſtico & Muſtela.

PRAEDA viri prædo murum Muſtela precatur:
Da veniam, debes parcere, parce mihi.
Quod caret hoſte domus, quod abeſt a ſorde, fatetur
Eſſe meum, pro me te rogat, ergo fave.
Servitio me redde tuo, mihi redde labores,
Præmia; pro dono ſit mea vita mihi.
Ille refert: Operis debetur gratia menti,
Non operi; gratum mens bona reddit opus.
Nemo, licet profit, niſi vult prodeſſe, meretur.
Non prodeſſe poteſt hoſtis, obeſſe volens.
Cum mihi prodeſſes, mihi non prodeſſe volebas;
Hoſtibus ipſa meis, & meus hoſtis eras.
Non mihi monſtra necans, ſed eras tibi provida ſoli;
Sic panem poteras rodere ſola meum.
Pane meo pinguis, mihi da pinguedinis uſum,
Damnis penſo necem: digna perire peri.
NIL decorat factum, niſi facti ſola voluntas:
Non operis fructum, ſed volo mentis opus.

FABULA XLI.

De Bove & Rana.

ÆQUARI vult Rana bovi, tumet ergo; tumenti
Natus ait: Ceſſa, præ bove tota nihil.
Rana dolet, meliuſque tumet; premit ille tumentem:
Vincere non poteris, victa crepare potes.
Tertius iratam vexat tumor: illa tumoris
Copia findit eam; gutture rupta patent.
CUM majore minor contendere deſinat, & ſe
Conſulat, & vires temperet ipſe ſuas.

FABULA XLII.

De Leone & Equo.

TONDET Equus pratum: petit hunc Leo: cauſa Leonem
Hæc movet, ut fiat eſca Leonis Equus.
Inquit Equo: Mi frater, ave, fruor arte medendi,
Et comes & medicus ſum tibi: paret Equus.
Sentit Equus fraudes, & fraudi fraude reſiſtit,
Mente prius texens retia fraudis, ait:
Quæſitus placiduſque venis, te temporis offert
Gratia; te rogitat pes mihi lente gravis.
Hic favet, inſtat Equo; ſubjecto vertice calcem
Imprimit, & ſopit membra Leonis Equus.

Vix fugit ille ſopor, vix audet vita reverti,
  Vix Leo colla movens reſpicit; hoſtis abeſt.
Sic Leo ſe damnat: Patior pro crimine pœnam,
  Nam geſſi ſpeciem pacis, & hoſtis eram.
QUOD non es, non eſſe velis; quod es, eſſe fatere:
  Eſt male quod non eſt, qui negat eſſe quod eſt.

FABULA XLIII.

De Equo & Aſino.

GAUDET Equus phaleris, freno ſellaque ſuperbit,
  Iſta quidem veſtit aureus arma decor.
Obſtat Aſellus Equo; vicus premit artus Aſellum,
  Vexat onus, tardat natus eundo labor.
Quod ſibi claudat iter, ſonipes inclamat Aſellum:
  Occurris domino, vilis Aſelle, tuo.
Vix tibi do veniam de tanti crimine faſtus,
  Cui via danda foret libera, dignus eram.
Subticet ille timens, mutuſque pudore ſilendo
  Tutior & ſurda præterit aure minas.
Summus Equi declinat honor; dum vincere tentat,
  Vincitur, & curſum viſcera rupta negant.
Privatur phaleris, freno ſellaque nitente:
  Hunc premit aſſiduo rheda cruenta jugo;
Huic tergum macies acuit, labor ulcerat armos.
  Hunc videt, inque jocos audet Aſellus iners:
Dic, ſodes, ubi ſella nitens, ubi nobile frenum?
  Cur eſt hæc macies, cui fuit ille nitor?

Cur manet hic gemitus, cur illa ſuperbia fugit?
Vindicat elatos juſta ruina gradus.
Stare diu nec vis, nec honor, nec forma, nec ætas,
Sufficit in mundo; plus tamen iſta placent.
Vive diu, ſed vive miſer, ſocioſque minores
Diſce pati: riſum dat tua vita mihi.
PENNATIS non crede bonis; te nulla poteſtas
In miſeros armet; nam miſer eſſe potes.

FABULA XLIV.

De Quadrupedibus & Avibus.

QUADRUPEDES pugnant Avibus; victoria nutat.
Spes onerata metu vexat utrumque gregem.
Linquit aves quæ ſumit Avis de veſpere nomen,
Nec timet oppoſiti caſtra juvare chori.
Armat aves Aquilæ virtus, & viribus implet,
Et monitu; torpet altera turba metu.
Amplexatur aves pennis victoria lætis,
Pro titulo pœnam transfuga ſumit avis.
Vellera nuda ſuo, pro plumis vulnera portat,
Edictumque ſubit, ne niſi nocte volet.
NON bonus eſt civis, qui præfert civibus hoſtem:
Utiliter ſervit nemo duobus heris.

FABULA XLV.

De Accipitre & Philomela.

DUM Philomela ſedet, ſtudium movet oris amœnum
Sic ſibi, ſic nido viſa placere ſuo.
Impetit Accipiter nidum; pro pignore mater
Supplicat; alter ait, Plus prece carmen amo.
Nec prece nec pretio, ſed amœno flectere cantu
Me potes: ille ſilet, dulcius illa canit.
Mente gemit, licet ore canat, mens ejus aceſcit,
Cujus mellifluum manat ab ore melos.
Impia fatur avis: Sordet modus iſte canorus,
Et laniat natum, matre videnté, ſuum.
Mater obit, nec obire poteſt; ſed vivit, ut ipſam
Vincat vita necem, plus nece cladis habens.
Cor matris patitur plus nati corpore; corpus
Rodit avis roſtro, cor fodit enſe dolor.
Veſtigat ſua pœna ſcelus: nam fraudibus uſo
Aucupe, fraudoſam viſcus ineſcat avem.
FINE malo claudi ſemper mala vita meretur:
Qua capit inſontes, ſe dolus arte capit.

FABULA XLVI.

De Vulpe & Lupo.

DITAT præda Lupum, ducit Lupus otia longa
Facta cibo; Vulpes invidet, iſta movet:
Frater, ave, miror cur tanto tempore mecum
Non fueris; nequeo non memor eſſe tui.
Ille refert: Pro me vigilet tua cura, precari
Numina ne ceſſes, ne mea vita ruat.
Fraude tamen munita venis, falſoque venenum
Melle tegis; dolor eſt copia noſtra tibi.
Extorquere paras aliquid, furtumque minaris,
Sed mea furtivam reſpuit eſca gulam.
Spreta redit, ſpretam ſtimulat dolor, apta dolori
Fraus ſubit, ad pecorum transvolat illa ducem.
Hunc monet his verbis: Tua gratia muneris inſtar
Sit mihi; namque Lupum dat mea cura tibi.
Hoſtem perde tuum; tuto jacet hoſtis in antro.
Vir favet, antra petit, & necat enſe Lupum.
Iſta Lupi conſumit opes; ſed floret ad horam
Vita nocens. Vulpes caſſe retenta gemit:
Cur nocui? nocet ecce mihi nocuiſſe nocivo.
Jure cado, cujus concidit arte Lupus.
VIVERE de rapto vitam rapit: invidus inſtans
Alterius damnis, in ſua damna ruit.

FABULA XLVII.

De Cervo & Venatore.

FONS nitet argento ſimilis: ſitis arida Cervum
Hucrapit, haurit aquas, ſe ſpeculatur aquis.
Hunc beat, hunc mulcet ramoſæ gloria frontis;
Hunc premit, hunc lædit tibia macra pedum.
Ecce canes, tonat ira canum, timet ille, timenti
Fit fuga, culpati cruris adorat opem.
Clauſtra ſubit ſilvæ, cornu retinente moratur,
Crura neci rapiunt, cornua longa necant.
SPERNERE quod proſit, & amare quod obſit, ineptum eſt.
Quod fugimus prodeſt, & quod amamus obeſt.

FABULA XLVIII.

De Milite & Femina.

DUM vir & uxor amant, uxorem privat amato
Parca viro, nec eam privat amore viri.
Conjugis amplectens tumulum, pro conjuge vexat
Ungue genas, oculos fletibus, ora ſono.
Hanc juvat ipſe dolor, nequit hac de ſede revelli
Grandine, ſeu tenebris, ſeu prece, ſive minis.
Ecce reum damnat judex; crux horrida punit,
In cruce cuſtodit, tempore noctis, Eques.

Hic ſitit, ad tumulum vocat hunc & clamor & ignis,
  Orat aquæ munus; hæc dat, & ille bibit.
Ægrum nectareis audet cor inungere verbis,
  Hunc vocat ad primum cura timoris opus;
Sed redit, & dulces monitus intexit amaro
  Cordi; victa ſubit caſtra doloris amor.
Vir metuens furem furis, ſuſpendia furis
  Viſit, ſed viduam tactus amore petit.
Hanc ligat amplexu, fructumque ligurit amoris:
  Hinc redit ad furem, ſed loca fure carent.
Hic dolet, hoc queſtu dolor hic inſtigat amicam:
  Non bene ſervato fure, timore premor.
Rex mihi ſervandum dederat, me regius enſis
  Terret, & extorrem me jubet eſſe timor.
Hæc ait, Inveni, quæ ſpem tibi ſuſcitet, artem:
  Vir meus implebit in cruce furis onus.
Iſta viri buſtum reſerat, pro fure catenat
  Ipſa virum, reſtem ſubligat ipſa viro.
Huic merito ſuccumbit Eques; ſuccumbit amori
  Illa novo, ligat hoc firmus amore thorus.
SOLA premit vivoſque metu pœnaque ſepultos
  Femina; femineum nil bene finit opus.

Poſt verſum 26 alios ingerit verſus editio Ulmenſis an. 1494, *quorum ultimus a nobis emendatus eſt.*

Miles ait, Noſtræ noſtris ſucceſſibus artes
  Non proſunt; aliud conſule conſilium.
Crinibus orbata furis frons nuda nitebat,
  Iſtiuſque viri frons manet hirta comis.

Pallentis caput illa capit ; frontemque figillans
Calvitie , manibus vellit & ore pilos.
Huic merito ſuccumbit Eques ; ſuccumbit amori
Illa novo , ligat hoc firmus amore thorus.
JAM veteri novus exſtincto præfertur amori.
Viva nihil fidi femina amoris habet.

FABULA XLIX.

De Thaide & Juvene.

ARTE ſua Thais juvenes irretit, amorem
Fingit, & ex ficto fructus amore venit.
A multis fert multa procis, ex omnibus unum
Eligit, huic veri ſpondet amoris opes.
Sim tua, ſiſque meus, cupio: plus omnibus unum
Te volo, ſed nolo munus habere tuum.
Percipit ille dolos, & reddit qualia ſumſit:
Sis mea, ſimque tuus; nos decet æquus amor.
Vivere non vellem, niſi mecum vivere velles.
Tu mihi ſola ſalus, tu mihi ſola quies.
Sed falli metuo, quia me tua lingua fefellit,
Præteriti ratio ſcire futura facit,
Vitat avis taxum, quem guſtu teſte probavit;
Fallere vult hodie, ſigna fefellit heri.
THAIDA ſi quis amat, ſua, non ſe, credat amari.
Thais amore caret, munus amantis amat.

FABULA L.

De Patre & Filio.

EST pater, huic natus: hic patri cedere neſcit,
Nam facienda fugit, & fugienda facit,
Mens vaga diſcurrit, & menti conſonat ætas:
Mentis & ætatis turbine frena fugit.
Ira ſenis punit pro nati crimine ſervos,
Inſtruit iſta ſenem fabula nota ſeni.
Cauta bovem vitulumque manus ſupponit aratro:
Hic ſubit, ille jugum pellit; arator ait:
Gaude lætus ara, tu quem domat uſus arandi:
A bove majore diſcat arare minor.
Non placet, ut ſudes, ſed des exempla minori,
Qui pede, qui cornu pugnat abire jugo.
Sic domat indomitum domito bove cautus arator,
Sic veterem ſequitur junior ille bovem.
PROFICIT exemplo tanto cautela docendi,
Majorique minor credat in arte ſua.

FABULA LI.

De Vipera & Lima.

VIPERA fabrilem, dapis anxia, tendit in ædem,
Incipit hæc Limam rodere, Lima loqui:
Neſcis poſſe meum, quæ ſit mea gloria neſcis,
Dente meo pateris, non ego dente tuo.

In tenuem ferrum forti molo dente farinam,
Et cadit attritu dura farina meo.
Ferrea præſenti caſtigo tubera morſu,
Aſpera plano, ſeco longa, foranda foro.
Deliras igitur, cum dente mineris inermi;
Rideo, cum ferior; vulnera ferre gemis.
FORTEM fortis amat; ſed fortem fortior angit.
Majori metuat obvius ire minor.

FABULA LII.

De Lupis & Ovibus.

PUGNA Lupis opponit Oves, oviumque ſatelles
Eſt canis, eſt vervex; hac ope fidit Ovis.
Palma diu dormit, deſperat turba Luporum,
Et ſimulans fœdus, fœdere tentat Ovem.
Fœdus utrumque fides jurato numine fulcit,
Id Lupus, id ſimplex obſide firmat Ovis,
Datque Lupis male ſana canem, recipitque Luporum
Pignora; nec metuit, nec ſua damna videt.
Dum natura jubet natos ululare lupinos,
Turba lupina furit, fœdera rupta querens.
Ergo pecus tutoris egens in viſcera mergit;
Præſide nuda ſuo ſic tumulatur Ovis.
TUTOREM retinere ſuum, tutiſſima res eſt:
Nam ſi tutor abeſt, hoſtis obeſſe poteſt.

FABULA LIII.

De Homine & Securi.

Quo teneatur, eget nil auſa ſecare ſecuris.
Armet eam Lucus, Vir rogat; ille favet.
Vir nemus impugnat, laſſans in cæde ſecurim;
Arboris omne genus una ruina trahit.
Lucus ait, Pereo, mihimet ſum cauſa pericli,
Me necat ex dono ruſtica dextra meo.
Unde perire queas, hoſtem munire cavebis:
Qui dat quo pereat, quem juvat hoſte perit.

FABULA LIV.

De Lupo & Cane.

Cum Cane ſilva Lupum ſociat. Lupus inquit, Amice,
Pelle nites, in te copia pulchra patet.
Pro verbis dat verba Canis, Me ditat herilis
Gratia, cum domino me cibat ipſa domus.
Nocte vigil fures latratu nuntio, tutam
Servo domum; mihi dat culmus in æde thorum.
Hæc movet ore Lupus: Cupio me vivere tecum,
Communem capiant otia noſtra cibum.
Reddit verba Canis: Cupio te vivere mecum,
Una dabit nobis menſa manuſque cibum.
Ille favet, ſequiturque Canem, gutturque caninum
Reſpicit, & quærit, Cur cecidere pili?

Inquit, Ne valeam morſu peccare diurno,
Vincla diurna fero, nocte jubente vagor.
Verba Lupus reddit: Non eſt mihi copia tanti,
Ut fieri ſervus ventris amore velim.
Ditior eſt liber mendicus divite ſervo.
Servus habet nec ſe, nec ſua; liber habet.
Libertas, prædulce bonum, bona cetera condit:
Qua niſi conditur, nil ſapit eſca mihi.
Libertas animi cibus eſt, & vera voluptas:
Qua qui dives erit, ditior eſſe nequit.
Nolo velle meam pro turpi vendere lucro:
Has qui vendit opes, hic agit ut ſit inops.
Non bene pro toto libertas venditur auro,
Hoc cœleſte bonum præterit orbis opes.

FABULA LV.

De ventre & ceteris membris.

Incusant avidi pes & manus otia ventris,
Omnia ſolus habes lucra, labore carens.
Nos labor edomuit; te fovit inertia, ſorbes
Omnia, quæ noſtri cura laboris emit.
Diſce pati famis acre jugum, vel diſce labori
Credere, teque tui cura laboris alat.
Sic ventri ſervire negant: ſe venter inanem
Comperit, orat opem, nil dat avara manus.
Ille preces iterat; iterum fugit illa precantem.
In ſtomachi fundo torpet, obitque calor,

Victa fame natura fugit, vis arida fauces
Obſerat, & ſolitum non finit ire cibum.
Vult epulas dare ſera manus: ſed corporis ægri
Perdita non reparans machina, tota perit.
NEMO ſibi ſatis eſt: eget omnis amicus amico.
Si non vis aliis parcere, parce tibi.

FABULA LVI.

De Simia & Vulpe.

SIMIA de turpi queritur nate: porrigit aurem
Vulpes, non recipit mente, ſed aure preces.
Simia ſic fatur: Natis ut mihi dedecus ornem,
Sufficeret caudæ pars mihi parva tuæ.
Quid prodeſt nimia campos inſculpere cauda?
Quod mihi prodeſſet, eſt tibi pondus iners.
Illa refert: Nimio damnas de pondere caudam:
Eſt brevis eſtque levis; hæc duo damna queror.
Malo verrat humum, quam ſit tibi cauſa decoris,
Quam tegat immundas res bene munda nates.
ID nimium nimioque magis ditaret egenum,
Quod nimium minimo credis, avare, minus.

FABULA LVII.

De Inſtitore & Aſino.

DUM fora feſtinus lucro petit, inſtat Aſello
Inſtitor, & preſſum pondere, fuſte premit.

Ille necem ſperat, nece promittente quietem,
Sed nece completa, vivere pœna poteſt.
Nam cum bella facit, & tympana pulſat Aſelli,
Hic laſſatur, & hæc pulſa tonante manu.
Cui ſua vita nocet, caveat ſibi rumpere vitam:
Non nece, ſed meriti jure quieſcit homo.

FABULA LVIII.

De Cervo.

Motus voce canum Cervus fugit, avia ſilvæ
Deſerit, arva tenet, clauſtra bovina ſubit.
Bos ait: Aut luci tenebras, aut æquora campi
Tutius intrares, hinc piger, inde levis.
Huc veniet cuſtoſque boum, ſtabulique magiſter;
Si duo, vel tantum te videt alter, obis.
Cervus ait: Mihi veſtra necem clementia demat.
Credite me latebris, dum juvet umbra fugam.
Hunc tumulant fœno. Præſepe reviſit arator,
Frondibus & fœno munit alitque boves.
Hic abit, ac Cervus vitaſſe pericula gaudens,
Bobus agit grates: e quibus unus ait,
Eſt leve, vitare cæcum: ſi venerit Argus,
Argum ſi poteris fallere, victor eris.
Centum fert oculos; cui ſe debere fatentur
Et domus & ſervi totaque jura loci.
Res ſua ſollicitat Argum, res altera cæcum,
Qui tibi dormitat, ſcit vigilare ſibi.
Hic ſilet. Argus init ſtabulum, bobuſque miniſtrat:
Plus æquo tenues viderat eſſe boves.

Dum munit præſepe cibo, dum fulgurat ira,
  Auſa videre diem cornua longa videt.
Qui latet hic? quid, ait, video? ſentitque latentem,
  Et bona fortunæ munera lætus habet.
Exsulis eſt non eſſe ſuum, vigilare potentis;
  Stertere ſervorum, velle juvare pii.

FABULA LIX.

De Judæo & Pincerna.

Fert Judæus opes; ſed onus fert pectore majus:
  Intus adurit eum cura, laborque foris.
Ergo metu damni, ſibi munere regis amorem
  Firmat, ut accepto produce tutus eat.
Regius hunc Pincerna tegit, cor cujus adurit
  Auri dira fames, qui parat enſe nefas.
Silva patet, ſubeunt. Judæus in ore ſequentis
  Cor notat: Ipſe ſequar, inquit: at ille negat,
Et gladium nudans, Nemo ſciet, inquit, obito:
  Ille refert, Scelus hoc iſta loquetur avis.
Profilit a dumo Perdix: hanc judice ſignat.
  Alter ait: Scelus hoc iſta loquetur avis?
Et rapit enſe caput, & opes metit, & ſcrobe funus
  Celat: agit celeres annus in orbe rotas.
Perdices domini cœnæ Pincerna miniſtrat,
  Ridet, & a riſu vix vacat ipſe ſuo.
Rex audire cupit: hic differt dicere cauſam.
  Fit locus, ambo ſedent; hic movet, ille refert.

Rex dolet, & læto mentitur gaudia vultu;
Regis concilium conſiliumque ſedet.
Pincernam crucis eſſe reum, ſententia prodit,
Crux punit meritum jure favente cruci.
UT perimas quenquam, nullum tibi ſuadeat aurum;
Nam decus & vitam mœſta rapina rapit.

FABULA LX.

De Cive & Milite.

CIVIS, Eques ſub rege vigent: hic prœlia regis,
Hic diſpenſat opes; hic vir & ille ſenex.
Invidiæ, perflata genas, ignita doloris
Flammis, fax juvenem torret honore ſeni.
Regis in aure truces fingit de cive querelas:
Eſt tibi non paſtor, ſed lupus ille ſenex.
Ditant furta ſenem, crevit ſua copia furtis,
Et ſua de cenſu gaza reciſa tuo eſt.
Firmabo mea verba manu, ſua furta fateri
Hunc faciam: bello judice verus ero.
Cum moveant objecta ſenem, plus debilis ætas
Hunc movet, ac ſenii crimine viſus hebes.
Parcunt jura ſeni, ſi pro ſene pugnat amicus,
Cui nullius amor fœnoris arma probat.
Mendicat pugilem: ſed abeſt qui pugnet amicus,
Nam refugit viſo turbine falſus amor.
Dum fortuna tonat, fugitivos terret amicos,
Et quis amet, quis non, ſola procella docet.

Cœna trahit civem, differt nox una duellum,
Sollicitat menſam juſta querela ſenis.
Quos meritis emi, multos mihi fecit amicos
Longa dies, cunctos abſtulit hora brevis.
De tot amicorum populo non reſtitit unus:
Quamque dedi multis, nemo repenſat opem.
Rebar pace frui: mea paci congruit ætas;
Sed mea turbavit gaudia livor edax.
Hoſti multa meo palmam pepigere; tepeſco,
Ille calet; careo viribus, ille viget.
Arma parum novi, ſe totum præbuit armis;
Eſt mihi viſus hebes, viſus acutus ei.
Nil mihi ſpondet opem, niſi juſtæ gratia cauſæ:
De fragili queritur præſide cauſa potens.
Corporis eclipſim timet alti copia cordis,
Nam fragili peccat mens animoſa manu.
Si turpes nitidæ mendax infamia famæ
Infigit maculas, quid nituiſſe juvat?
Deſperat, lugetque ſenex: hunc lenit arator,
Qui ſenis arva colit, annua lucra ferens.
Me ſtimulat pietas pro te perferre duellum,
Eſt mihi pro domino dextra parata meo.
Ecce dies oritur, locus eſt tempuſque duelli:
Sunt pugiles: ineunt mente, manuque ſimul.
Eſt Equiti fœdum, quod ſtet, qui pugnet, arator,
Seque putat victum, ni cito vincat Eques.
Nil de ſe retinet virtus oblita futuri,
Dextera corporeas prodiga fundit opes.
Ictus ipſe ſuos ſteriles expendit in uſus,
Et feriens hoſtem ſe magis hoſte ferit.

Sed propriæ virtutis opes abſcondit arator,
Dum locus expenſæ detur & hora ſuæ.
Aut motu fallit, aut armis temperat ictus,
Prædicitque minas frontis utrumque jubar.
Dormitans vigilat, & ceſſans cogitat ictum,
Et metuens audet dextra, notatque locum.
Hæc mora non artis ratio, ſed cauſa timoris
Creditur; arte fruens eſſe videtur iners.
Gaudet Eques, viciſſe putans, ſpernitque bubulcum.
Sudoremque ſuo tergit ab ore ſuum.
Ecce moram neſcit; Equitem ſpeculata morantem
In cubiti nodum ruſtica clava ferit.
Hujus plaga loci totius corporis aufert
Robur; cedit Eques, ſeque cadente ſedet.
O nova ſimplicitas! ſedet iſte, vocatque ſedentem,
Et niſi ſurgat Eques, ſurgere velle negat:
Surge, bubulcus ait: cui miles, Surgere nolo.
Alter ait, Sedeas, meque ſedere licet.
Turba ſtupet: Præfectus adeſt, Equitique moranti
Imperat, ut pugnet, aut ſuperatus eat.
Hæret Eques. Præfectus ait, Te vicit arator:
Pugna cadit. Regi panditur ordo rei.
Rex ait: Inciſum nova, Præfecte, duellum,
Dedecus explanet ille, vel ille ſuum.
Pugna redit, mileſque ſedet, velut ante ſedebat.
Surge, bubulcus ait. Non volo, miles ait.
Cultor ait, Dum ſtare negas, ego ſtare recuſo.
Surgere ſi tentas, ſurgere promtus ero.
Ambo ſedent, ridet populus, præſeſque bubulco
Intonat, Aut pugnes, aut fuge: tempus abit.

Cultor ait, Surgat: caderet, ſi ſurgere vellet.
Percute, Præſes ait, percute, ſurget Eques;
Te decet aut illum victi ſibi ponere nomen.
Hoc mihi non ponam nomen, arator ait.
Surgo, ſurge, miſer; nam turpe ferire ſedentem
Eſt mihi, ſitque tibi turpe, ſedendo mori.
Sic ait, & timidum mulcat: rogat iſte furentem,
Parce mihi victo, ſupplico; victor abi.
Læta novat fortuna ſenem; ſenis unicus heres
Scribitur, & dignas intrat arator opes.
Jus ſuperat vires, ſors aſpera monſtrat amicum.
Plus confert odio gratia, fraude fides.

* *
*

Finem ſui, verſu gemino, quod continet, omnis
Fabula declarat, datque quod intus habet.